Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Phys. 770

360 p

Große Worte 335 p. Rey.
Große Worte 176 p
296 p

A. A. D. Aepinus.
Rost. 1743.
44 Bl.

E. c – 3/35 1–4.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0002
DFG

Cod. Tychsen
Phil. 190

360 p
Zusch. Num. 335 p. Mag.
Zusch. Num. 176 p
296 p

A. J. D. Aepinus.
Rost. 1743.
44 Bl.

E. C. – 3/35 a 1–4.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0003
DFG

1/ Kantz von Unsterblichkeit der Seele. 20.
2/ Wolf und Rüdigers Meynung vom Wesen der Seele. 6.
3/ Agrippae Natürl. Astrologie. 6.
4/ Lichtfeldii Theolog. Natural. et moral. corpor. 10.

THEOLOGIA NATVRALIS

EX

MOTV CORPORVM

DEMONSTRATIVA METHODO

EVICTA

CVM PRAEFATIONE

IO. PET. REVSCHII

PROFESSORIS PHILOSOPHIAE ORDINARII

IN ACADEMIA IENENSI

AVCTORE

GVST. EICHFELD

CELLENSI

IENAE ET LIPSIAE

IMPENSIS CHRIST. FRID. GOLLNER.

MDCC XXXXI.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0006

DFG

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IOANNES PETRVS REVSCH

PHILOS. PROFESSOR.

Corpora existere contra idealistas rectissime grauissimisque argumentis propugnatur: nec illi naturam essentiamque substantiarum finitarum, quae ad eum repraesentationis gradum assurgunt, in quo est claritas atque perceptionum adperceptio seu conscientia, adeoque modum, quo ad perceptiones harumque adperceptionem entia illa cogitantia adspirant, perspexisse videntur. Corpora quoque simplicibus atque monadibus constare, quae vulgo vocantur elementa, absurditas progressus in infinitum euincit. Sed elementorum essentiam atque naturam inuestigare, itemque modum ostendere, quo monades illae ad corpora constituenda coagmentantur, sensibus est

imperuium: rationi opus difficillimum variisque obnoxium offensionibus. Ea quidem est nostrorum temporum felicitas, vt plures hic prostent coniecturae verisimiles, quam superiori aetate: verum si qua sunt, quae acutissimorum hominum ingenia industriamque adhuc postulant atque exercere possunt; profecto natura et coagmentatio elementorum, quae a sensibus remota est quam longissime, in eorum numero versatur. Elementum esse minimam mundi corporei partem, per se patet. Cum quoque minima pars corporum non habere queat partes, vtpote quae singulatim acceptae minores adhuc forent toto: puncta illa naturae, quae elementorum nomine veniunt, non habent partes, adeoque nec partes extra partes, per consequens extensionem nul-

nullam significatu physico, qui vulgo adhibetur. Interea elementum occupat punctum vimque exserit, ope cuius arcet, ab illo puncto alias substantias quascumque et a quacumque plaga accedentes ad illud punctum, vt adeo, ratione loci, extra substantias reliquas ponatur. Iam si generatim vocare velis contactum, cum substantia sic praesens sit alteri substantiae, vt nulla sit substantia intermedia, seu nihil inter illas substantias intercedat: elementum vnum contingere alterum aut aliam substantiam hoc sensu dici potest. Quo quidem posito, si elementum ex oppositis plagis, v. g. ex occidentali atque orientali, contingatur a duabus substantiis diuersis: a suo, quem occupat, loco vtramque prohibet atque medium inter vtramque interiacet, vt neutra contingat

alteram. Cum igitur inter ea, quae se contingunt seu sibi praesentia sunt immediate, atque inter ea, quae a se distant, non detur medium: illarum substantiarum altera ab altera distat per vim elementi intermedii. Concipimus ergo inter duas substantias distantiam, quam efficit elementum, eo tamen modo, vt per partes extra se positas non obtineat illa distantia: quam distantiam si velis adpellare extensionem, eminenter aut transcendentaliter talem; elementis vel monadibus aliis finitis extensionem, sensu eminenti et transcendentali, conuenire asserere possumus. Sed, praeter limites elementorum externos, intra elementum iidem habent locum atque gradus adpellantur, pro substantiae atque vis simplicis ratione: quinam vero status elementorum internus per gradus illos pro-

du-

ducatur, non est adeo manifestum. Vim simplicem in conatibus suis ad repraesentationes tendere, sumitur ab Ill. LEIBNIZIO atque rei ipsi est satis accommodatum. Vis enim per conatus progreditur ad producendum aliquid; quod vero est aliquid sistit nobis possibile: quapropter simplex finitum semper in se molitur possibilia eademque sistit. Possibilia illa quoniam mutantur semper, sunt ab ipso simplice et elemento vti separabilia, ita realiter diuersa: quodlibet ergo simplex finitum, e.g. elementum, intra se producit continuo mutationes, quae respondent possibilibus, ab ipso simplice, e. g. elemento, diuersis. Quapropter cum repraesentationes, quae in simplici perceptiones audiunt, nihil aliud complectantur generatim, quam ea intra ens aliquod, quod respondet

alii possibili, diuerso ab ente illo: generali significatu repraesentationes videntur aptissimae simplicium finitorum mutationes internae. In gradibus tantum fieri potest mutatio simplicis: vnde perceptiones simplicium diuersae sunt diuersi gradus vis repraesentatiuae, in iisdem obuiae. In tenebris hic palpamus, quoad sensuum ope ad cognitionem adspirare contendimus; ratio quoque vltra probabilitatis speciem non adsurgit, vt antecedentia probant: sed in pari versamur obscuritate in determinatione externa graduum vis repraesentatiuae, quae a caussis deriuanda est occasionalibus. Quum enim ens finitum suos habeat limites externos, vltra quos non potest conatus extendere; atque generatim id valeat, quod, vbi substantiale atque vis alicuius entis non est obuia

uia, ibi non possit agere: difficultas quaedam obiicitur, fere insuperabilis, concipiendi, qua ratione vna substantia intra limites alterius substantiae agere queat, seu in altera substantia mutationem physice producere; nisi admittere velimus substantias, sibi immediate praesentes, in limitibus extensionis, etiam transcendentalis, coincidere posse. Quodsi in hoc nodo soluendo confugiamus ad typicam, vel assistentiae vel harmoniae praestabilitae, rerum coexistentium dependentiam a se inuicem: aliquo modo euitamus hanc obscuritatis Charybdin; sed cauendum sedulo, ne in Scyllam incidamus, cum vterque typicus nexus suis prematur incommodis, quod alibi a nobis est ostensum. Illud indubitatis nititur principiis, elementa, quae corpora constituunt,

nexum inter se habere, cum cohaereant: qua autem ratione is obtineatur, non tam facile potest in luce poni. Interim speramus fore, vt in posterum plura dies doceat: gratulamur quoque generi hominum, quod in tantis argumenti huius grauissimi tenebris, illa tamen sua luce radient, quae Numinis supremi excellentiam atque perfectiones manifestant. Quamquam stupendum illud, quod Deus in mundo corporeo nobis obiecit opus, fallat in quam plurimis cognitionem accuratam: illustrissimo tamen modo patefacit conditoris gloriam, vt quocunque oculos corporis atque mentis vertamus, Deus diuinaeque perfectiones se nobis offerant. Quodsi vel pars mundi materialis leuissima seriae subiiciatur meditationi: ea subministrat principia, ex quibus ad opificis infinitam sapientiam, beni-

gnita-

gnitatem, potentiam atque ceteras eminentias concludere queamus, seu est speculum perfectionum diuinarum luculentissimum. Operae igitur pretium fecit clarissimus GVSTAVVS EICHFELD, Cellensis quod in hac tractatione, quam inscripsit, *Theologia Naturalis ex motu corporum demonstratiua methodo cuicta* ex mundo corporeo, tamquam ex scala creaturarum adscendit ad Deum eiusque gloriam concelebrandam. Ingenium ad meditationes serias adprime comparatum probat lectoribus, qui plurimas in hoc argumento obscuritates atque tenebras non infelici ausu deprehendet dissipatas. Tanta sagacitate ac profunditate persecutus est Auctor doctissimus generalia mundi corporei, itemque eo haec selectu in declarandis atque roborandis theologiae naturalis dogmatibus in vsum traduxit, ipsaque

haec dogmata accuratione ea ac perſpicuitate propoſuit, vt non ſine animi voluptate perlegerim omnia. Quamquam enim non vbique in cl. EICHFELDII ſententias ire adhuc queam, rationibus nondum ſufficienter ſubductis: probo tamen ingenii iudiciique vires in doctiſſimo Auctore menteque praecipio multa eruditionis ſpecimina, quibus orbem ditare poſſit litterarium, ſi viam quam ingreſſus eſt in ſolidioribus ſtudiis excolendis, ſtrenue calcare pergat. DEVS igitur T. O. M. porro ſua gratia adſpiret conatibus doctiſſimi Auctoris et vegetas ſemper animae corporisque vires conſeruet: quo plurimum vtilitatis in poſterum quoque in rem et litterariam et eccleſiaſticam ex illius ſtudiis redundare queant. Vale beneuole lector atque hiſce laboribus vtere feliciter.

(o)

CAPVT I.
DE
VI ELEMENTORVM.

§. I.

Quicquid nullam inuoluit repugnantiam, seu quicquid est possibile, siue positiue, siue priuatiue, dicitur aliquid. Omne possibile vel absolute tale vel respectiue est. Possibilitas absoluta appellatur ens, respectiua res seu realitas. Proinde omne aliquid est vel ens vel realitas.

SCHOL.

Qui non nisi ea, quae existunt, entis nomine insigniunt, omne non existens, ideoque mere possibile non ens dicant necesse est. Scientiae igitur ad vnam omnes, quum non nisi de abstractis & meris possibilitatibus agant, non ens seu nihilum pro obiecto habent. Accedit: Si tantum id, quod existit, entis nomine dignum, praeterita aeque ac futura in praesenti

senti sunt nihil. Tollitur itaque omnis ratio, quae ex praeteritis praesentia, ex praesentibus futura colligit. Corruit omnis prudentia, quippe quae ex pluribus possibilibus, quid optimum factu sit, diiudicat. Vacillat omnis scientia media in Deo & hominibus, quae mera tantum possibilia nunquam extitura cognoscit. Euanescit quoque libertas omnis, vniuscuiusque enim actionis oppositum est nihil. Cuiuscunque autem actionis oppositum est nihilum seu non ens, illa dici non potest libera. Quod cum ita sit, definitioni entis existentia minus congrue includitur.

§. II.

Quicquid est possibile in se, vel constituitur pluribus, vel non. Plura, quae vnum constituunt, dicuntur partes. Hinc omne absolute possibile vel habet partes, vel non habet. Quod constat partibus, dicitur compositum, quod nullis constat, simplex. Ergo omne ens est vel simplex vel compositum (§. 1.) Ens igitur nec simplex nec compositum repugnat, quia tertium inter membra contradictorie opposita non est possibile; aliud enim inter illa tertium excogitare non licet, quam ex duobus, idem est, idem non est, compositum. Sunt quidem possibilia nec sim-

simplicia nec composita, sed eadem sunt respectiua seu realiter, quibus neutra determinatio conuenit. Quodsi igitur omne ens est vel simplex vel compositum, non omnis possibilitas, sed absoluta tantum ens nuncupanda est.

Schol. Totum est vnum, quod constat pluribus. Differt itaque totum a composito non nisi formaliter. In composito enim consideratur diuisibilitas in plura, in toto autem vnitas plura coniungens. Compositum est vel mathematicum, quod tamquam partibus constitutum concipitur, vel physicum, quod habet partes actu a se inuicem diuersas, de quo loquimur; vel metaphysicum, in quo mente separantur attributa, modi; vel logicum, si in notione concipitur idea generica, specifica. Eodem modo diuiditur simplex.

§. III.

Notionem simplicis & compositi entis nec ope sensuum, nec abstractionis, sed per arbitrariam determinationem efformauimus (§. 2.) Nec aliam licet viam ingredi. Sed qui arbitrarie determinant ideam, eius possibilitatem demonstrare debent, ne falsa sibi pro veris persuadeant, saepissime enim occulta non animaduertitur contradictio. Sic, qui determinant spa-

ſpatium eſſe vel repletum vel vacuum, admittunt Chimaeram; ſpatium enim ſine rebus idem eſt ac mons ſine valle. Nequa igitur ſubrepat notio deceptrix, & ſimplicis & compoſiti poſſibilitatem euincere erit operae pretium.

§. IV.

Id, quod ad poſſibilitatem poteſt accedere, ſeu complementum poſſibilitatis audit exiſtentia. Completur autem poſſibilitas per conatum agendi, ideoque exiſtentia nihil aliud eſt, quam niſus, ſeu conatus & perpetua tendentia, quaenam? ad comprobandam poſſibilitatem ſuam. Proinde ab exiſtentia ad poſſibilitatem valet concluſio.

Schol. Definitionem aliorum, qua res dicitur exiſtere, ſi ponatur extra cauſas ſuas, ſi examini ſubieceris, praeceptis logices minus conformem deprehendes. Sed & noſtram nonnulla videntur labefactare. Poteſt enim poſſibilitas entis compleri, ita vt tum demum non incipiat exiſtere, quum iam dudum ante extiterit, e. g. ſi cuius memoria per indefeſſum exercitium vlterius complementum adſciſcat. Sed quod augetur, illud eatenus incipit exiſtere, quatenus augetur, vti memoria ſecundum gradus, quibus completur, exiſtere incipit, etſi

gradus

gradus eius inferiores iam extiterint antea. Nec existentia nouam addit possibilitatem, sic enim priorem non compleret, sed nouam possibilitatem tantummodo adiiceret. Quapropter nihil amplius merae possibilitati potest accedere, quam vt id, quod adhuc nuda erat possibilitas, perpetuo nisu ad demonstrandam possibilitatem augeri incipiat, & hic absoluit existentiam.

§. V.

Sensationes formamus entium ex partibus extra se positis constitutorum (per Exper.) Omnis sensatio supponit actionem obiecti in organa sensoria, actio vero existentiam (per princ. metaphys.) Existunt itaque entia ex partibus extra se positis constituta, ac proinde composita. (§. 2.) Ergo possibile ens compositum (§. 4.)

Schol. A priori possibilitatem simplicium demonstrandi spes decollat omnis. Videndum igitur, anne queat per eorum existentiam detegi. Posita autem existentia compositorum poni quoque existentiam simplicium, sequentem in modum euoluimus.

§. VI.

Quum locus enti non sit necessarius: quicquid habet partes, ideoque omne

compositum potest diuidi (§. 2.) Sed quicquid est diuisibile, aut in infinitum vsque potest diuidi, aut in diuidendo illo demum est subsistendum. Si compositum in infinitum est diuisibile, nunquam attingi possunt partes primae, quae rationem caeterarum omnium contineant, partes enim omnes, quae non sunt primae, rationem tantum aliqualem compositionis continent; ideoque non datur ratio sufficiens compositionis. Sed nihil est sine ratione sufficiente (per princ. ontolog.) Ergo compositum non potest diuidi in infinitum, sed in diuisione necessario deueniendum est ad partes vlterius non diuisibiles. Primum itaque componuntur composita partibus per alias non constitutis, i. e. simplicibus (§. 2.)

Schol. Nonnulli hanc de simplicibus corporum staminibus doctrinam risu exceperunt. Materiam in infinitum posse diuidi Auctor artis cogitandi argumentis mathematicis, iisque euidentissimis demonstrare sibi videtur. P. IV. Cap. I. pag. 307. *concipiendam esse*, inquit, *aequoris in infinitum vsque producti planiciem, vna cum naui a littore perpetuo in linea recta discedenti. Deinde, si quis in portu oculos defigat in abeuntis nauis partem infimam, radius, qui ab illa per vitre-*

vitreum aliquod corpus aut pellucidum ad oculum transmittitur, transiturus est per aliquod punctum vitri inferius paulum illo, per quod radius horizontalis transit. Quo longius autem nauis recedit, eo altius futurum est illud punctum, per quod radius a parte nauis infima ad oculum emissus transit, ideoque spatium inter duo prima puncta contentum sine fine diuidit, ita quidem, vt, quo longius aberit nauis, eo tardius illud punctum ascendat. Nec vel moueri desinet, vel ad punctum radii horizontalis perueniet, quum enim istae lineae sese in oculo intersecent, nunquam erunt pararellae, nec in vnam coibunt. Haec formidabilem in modum diuisibilitatem materiae infinitam demonstraturi mathematici obiiciunt. Sed salua res est. Spatium illis lineis inclusum diuiditur quidem in infinitum secundum partes possibiles, non autem actuales. Conceptus enim ille nauis in infinito mari excurrentis est mere imaginarius, non actualis. Materia autem possibilis, vt lubet, ex infinitis partibus potest composita fingi, quae tamen in ea simul existere nequeunt. Omnis circa diuisibilitatem materiae in infinitum difficultas oritur exinde, quod sibi fingunt corpus physicum partibus similaribus & non nisi possibilibus conflatum, quod tamen per differentes & actuales constituitur. Aliud nempe est cor-

pus mathematicum, aliud physicum. Illius partes tantum sunt possibiles & arbitrarie adsumi possunt, quemadmodum diuisio in fractionibus numerorum in infinitum vsque continuari potest. Conf. VVolf. Phys. germ. P. I. pag. 13. §. 4.

§. VII.

Quod valet de toto, id etiam de omnibus partibus verum est; totum enim & omnes eius partes sunt idem. Quum igitur existant composita (§. 5.) etiam existunt simplicia (§. 6.) & ob id ens simplex est possibile (§. 4.) Quemadmodum igitur numerus compositus non est possibilis sine simplicibus, aut determinatum omne sine determinante, sic nec ens compositum cogitari potest sine simplicibus.

Schol. Principium cognoscendi est, quod continet cognitionis de aliqua re rationem: causa, principium existentiae alterius. Quum igitur ope compositi cognoscamus simplex; illud est principium huius cognoscendi: simplicia autem sunt causae compositorum; quippe quae rationem existentiae eorum continent, & proinde quoque possunt esse principia cognoscendi composita.

§. VIII.

§. VIII.

Spatium est identitas rerum, quatenus extra se inuicem collocata sunt. conf. Recueil de diuers. piec. entre Newton, &c. Tom. I. p. III. §. 49. Wolf. ontolog. lat. p. 454. § 589. Extra se posita esse dicuntur ea, quae a se inuicem sunt diuersa. Illis autem intercedit diuersitas, quae plura sunt, ideoque spatium occupat, quodcunque ex pluribus constituitur. Ergo omne compositum necessario occupat spatium. (§. 2.)

Schol. Sunt, qui negant, ideam spatii in identitate extraesse itatis ponendam esse, nulla enim, inquiunt, identitas mensurari potest secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem; spatium autem dictis modis mensurari potest: ergo spatium non est illa identitas. Verum est, quod identitas in se spectata longitudinis & latitudinis expers sit, eandem autem non habere longitudinem & latitudinem, quatenus plura reuera existentia coniungit, falsum.

§. IX.

Occupatio spatii est extensio. Hinc omne compositum est extensum. (§. 8.) Extensionis vero potest esse limes, qui figura dicitur. Ergo omne compositum, potest figura circumscribi. Quodsi vero,

vti nonnullis placet, illimitata non repugnaret extensio, compositum non esset necessario figuratum. Cui sententiae, si inuictis corroborari nequeat rationibus, nolim accedere.

§. X.

Multitudo partium constituit magnitudinem. Omni igitur compositio sua competit magnitudo, (§. 2.) quae potest esse limitata (§. 9.) ideoque, cum omne quantum limitatum & finitum mensurari queat (p. princ. Ontolog.) omne compositum potest esse mensurabile.

§. XI.

Omne compositum potest diuidi (§. 6.) ideoque nouas subinde partes accipere, priores amittere. Hinc omne compositum potest maius & minus fieri, figuram mutare (§. 9.) oriri sine creatione & interire sine annihilatione.

§. XII.

Quodcunque vni contradictoriae oppositorum inest, eius oppositum alteri competit (per princ. contrad.) & proinde, quod compositio qua compositio tribuendum, illud denegandum simplicibus, & quod compositio qua compositio non inest, illud simplici competit (§. 2.) Ens sim-

simplex itaque non occupat spatium (§.8.) non est extensum, nec figura circumscriptum (§.9.) nullam admittit magnitudinem (§.10.) licet quantitatem: non potest maius, minus fieri: oritur per creationem & interit per annihilationem (§.11.) Caue autem omnia, quae corporibus insunt, deneges simplicibus. Quia enim sub vno genere sunt contenta, realitates illae, quae enti in genere, etiam composito, non qua tali, etiam simplici tribuendae sunt. E. g. varia cuiusque entis sunt vel interna, vel externa, hinc & compositi & simplicis affectiones sese ita habeant necesse est.

Schol. Ex iis, quae adhuc de ente simplici & composito praedicauimus, manifestum quoque est, ens simplex nec ex composito nec ex simplici altero oriri posse: quia nullae in illud cadunt partes; sed quod nullas habet partes, ab eo ne minimum quidem seiungi potest, & a quo nihil potest separari, ex eo quicquam oriri nequit. Ergo fieri non potest, vt vnum simplex ex altero oriatur, scilicet materialiter. Si vero non ex simplici, certe quoque non ex composito simplex oriri potest, huic enim nihil ineſt, nisi simplicium aggregatio & combinatio. Quodsi autem simplex nec ex simplici nec ex composito oritur, non potest ex nihi-

lo, si oritur, non oriri. Anima nostra est ens simplex, hinc eadem eius, quae simplicis, est conditio. Nolim igitur, animam ab anima oriri, asserere, quin potius animal propagatur ab animali, quum maxime videatur probabile, substantiam quandam corpoream animae nostrae iam ab initio mundi a Deo fuisse circumdatam, quae cum anima, per plures, quas successiue subiit, mutationes in praesentem perfectionem emersit. Gentiles, quum creationem ex nihilo sibi imaginari non possent, ex nihilo putabant nihil fieri, quo factum, vt in aeternitatem materiae inciderent. Sed materia aeterna inuoluit repugnantiam, aeque ac sine ratione sufficienti materia in tempore initii experte existeret. Ponas enim, aliquam materiam creando mundo praestructam fuisse, ea vel in motu fuit constituta vel non fuit. Si illud, primum motus requiritur principium, quod est Deus, illi aliquando motum imprimens. Si hoc, vel necessario quieuit vel contingenter. Si necessario, nec Deus eam potuit in motum redigere, sin contingenter, ratio, cur potius quieuerit, quam non, adsit oportet.

§. XIII.

Quicquid per sensus cognoscimus, est compositum (per priuc. Metaph.) simplicia, quia non sunt composita (§. 2.) in sensus non possunt incurrere, ideoque teste experientia simplicibus nihil tribui potest.

est. Sunt etiam, qui obseruarunt, corpuscula vel minutissima, quae nudo quidem oculo non percipias, armato stupendam compositionem exhibere, vnde sequitur, entia nullius compositionis sensus omnino fugere. Quum autem nihil possit cognosci, nisi vel ope sensuum vel ratione duce pateſcat (per princ. Log.): simplicia non nisi per rationem possunt innotescere. Notiones igitur, ex quibus tamquam principiis simplicium characteres deduci possint, adsint necesse est.

§. XIV.

Existentia simplicium a nonnullis in dubium vocatur, ita vt alii opponant alia. Fuerunt, qui compositum in infinitum diuidi posse & ob id nullas eius partes esse simplices statuebant; hac tantummodo ratione inducti, quod extensum per non extensa constitui negantes, omnes compositi partes non posse aeque compositas non esse sibi persuadebant. Impingebant igitur in eo, quod singulis partibus tribuebant, quod toti per eas constituto competit. Non enim sequitur, quod de pluribus collectiue sumtis valet, illud etiam de iis distributiue spe-

ctatis verum est. Pluribus quidem simplicibus vna sumtis competit extensio (§. 9. 8.): non autem singulis (§. 12.).

§. XV.

Eiusdem furfuris est opinio eorum, qui vltima compositorum stamina diuidi quidem non posse, attamen composita esse autumant. Quicquid enim est compositum, potest diuidi (§. 6.) ideoque illi, compositum in infinitum diuisibile esse, reuera adserunt, & ob id principium rationis sufficientis negligunt. Nec sufficit responsio, qua rationem collocant in voluntate diuina, cur haec nec alia obtineat partium combinatio, quippe quae nunquam non supponit rationem obiectiuam. Praeterea in voluntate Dei nihil est, ex quo cognosci possit, cur aliquid ita sit nec aliter, quia voluntatis non est, aliquid possibile reddere, & proinde in scientiis ad concipiendas veritates, pronocandum non est ad voluntatem diuinam.

§. XVI.

Alii, vt principio rationis sufficientis satisfaciant, compositionem partium dicunt absolute necessariam esse, ideoque vlterio-

teriorem rationem non requirere. Sed qui aliquid pro necessario venditant, repugnantiam in opposito demonstrandam habent, nisi tamquam aliquid sine ratione assumentes videri volunt. Hoc autem in nulla compositione fieri potest, quippe quae ob contingentiam loci omnis est mutabilis. Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin.

§. XVII.

Si quis principium rationis sufficientis parum habens perspectum, illud probandis generatim simplicibus impar esse sibi persuadeat, is & alio modo facile conuinci potest, argumento nempe ab anima petito. Anima dum cogitationes formar, formare enim testatur experientia, producit actiones a motu diuersas (per princ. Psych.) omnis autem mutatio, quae non est motus, in composito locum non habet, vt in sequentibus demonstraturi sumus. Ideoque anima non est ens compositum, ergo simplex (§ 2.) Existunt itaque simplicia. Praeterea, qui Deum statuit, statuunt autem omnes, qui ratione recte vtuntur, possibilitatem simplicis in dubium vocare non potest. Deus enim est im-

immutabilis (per princ. Theolog. natur.) omne compositum est mutabile (§. 11.) Hinc Deus non est ens compositum, & proinde simplex (§. 2.).

§. XVIII.

Quia omne ens certo modo est possibile (§. 1.); alia possibilitas aliud ens constituit: ita vt vnicuique enti sua possibilitas ita competat, vt non possit non competere, ac proinde ei sit necessaria. Proinde cuiuis enti sua assignanda est possibilitas necessaria, quae dicitur essentia, si rationem caeterorum, quae enti insunt, omnium contineat.

§. XIX.

Quicquid enti inest, non potest non rationem vltimato habere in quodam, cuius nulla est ratio in alio (per princ. rat. suff.); nihil autem suam ipsius rationem continet, nisi necessarium (per princ. Ontolog.): est itaque essentia, quae rationem caeterarum entis illius affectionum continet (§. 18.) In quo deprehenditur ratio caeterorum omnium, illud dicitur primum: ergo essentia est primum in ente.

§. XX.

§. XX.

Vbicunque igitur ens exiſtit, ibi neceſſario exiſtit eſſentia (§.18.). Exiſtentiam continuare dicitur perdurare. Hinc in omni ente, quod exiſtit, neceſſario aliquid perdurat, quo intereunte, ens ipſum exiſtentiam amittit.

Schol. Eſſentia eſt vel metaphyſica, vel phyſica. Illa eſt prima rei poſſibilitas, cui ſi accedat exiſtentia, abit in eſſentiam phyſicam. Diſtinctionem hanc neglexiſſe putandus eſt Feurbach in diſſert. de influxu phyſico reſtituto. Sic, qui contra neceſſitatem eſſentiae bellum mouerunt, pene omnes confundunt eſſentiam metaphyſicam & phyſicam. Inde tot coortae lites.

§. XXI.

Quodſi vero in omni ente exiſtenti aliquid perdurat (§. 20.): etiam in omni ſimplici aliquid perdurans ſit oportet (§.2.).

§. XXII.

Quum omnia, quae enti ineſſe poſſunt, rationem ſupponant in primo aliquo, in eſſentia (§.19.): per eam vel ita determinantur, vt non poſſint non adeſſe, vel ita, vt poſſint non adeſſe. Illa dicuntur attributa, haec conſtituunt ſtatum rei, cuius

ius determinationes audiunt limites. In essentia igitur non est ratio sufficiens, quod existant limites, alias enim aeque, ac essentia essent necessarii, ideoque ratio limitum etiam in externis esse debet. Quae, cum hoc vel illo modo non coexistant necessario: limites reddunt mutabiles.

Schol. Ex hisce consequitur, nullum finitum posse existere, nisi immensa aliarum rerum series coëxistat. Quicquid enim existit, gaudet conatu agendi, qui indesinenter nouos producit limites. Hi autem sui rationem non possunt habere vnice in ente ipso, quemadmodum attributa, non enim sunt necessarii; sed etiam per res externas determinantur, quo fit vt enti contingenter adsint. Nullum igitur existens finitum est sine limitibus, cuiusque autem limites supponunt alias res, harumque limites iterum alias, donec innumerabilis rerum series coalescat.

§. XXIII.

Quum essentia rerum sit necessaria & immutabilis (§. 18.): vna eademque rebus a singularibus vel specificis determinationibus seorsum consideratis est essentia, ideoque in essentialibus abstracte spectatis differre nequeunt. Plura autem simplicia sunt a se inuicem diuersa (§. 8.)

hinc

hinc praeter essentiam realitatibus adfecta sunt iis, qua simplicibus haut necessariis. Ergo simplicia finita ad vnum omnia suo statu, suis limitibus praedita sunt (§. 22.)

Schol. Si entia tantum limitibus a se mutuo distingui possunt, plura infinita existere repugnat. Infinitum enim est, quod nullis cancellis includitur.

§. XXIV.

Mutatio est ortus oppositi in ente. Nihil itaque in ente mutari potest, nisi cuius oppositum est possibile (§. 4.) seu quod ei contingenter inest. Nihil itaque in ente mutationibus est obnoxium, nisi limites (§. 22.), essentia nullam mutationem subire potest. (§. 18.)

Schol. Mutatio tantum locum habet in ente perdurante. Quod interit non perdurat, ideoque interitus non est entis mutatio.

§. XXV.

Limites simplicium dicuntur gradus. Quum igitur nil, nisi limes, in simplici variari possit (§. 24. 2.) nihil nisi gradus in simplicibus mutari potest. Sunt itaque simplicia mutabilia, si eorum gradus mutari possunt.

Schol.

Schol. Vti omnes substantiae sunt simplices, sic quoque omnia simplicia sunt substantiae, i. e. vi agendi praedita, ideoque gradus nihil aliud est, quam limitatio virium. Huius autem quantitas dicitur intensiua, extensiua est magnitudo. Mirifice disceptarunt Scholastici, vtrum gradus sua accessione nouam entitatem addant enti, vtrum vero non? Alii affirmarunt, alii negarunt. Tantum autem tunc temporis philosophicae cognitionis gradum non videntur attigisse, vt hanc de gradibus quaestionem aequa lance deciderent. Minime autem, si gradus gradui additur, noua accedit entitas, sed entitas seu conatus agendi antea iam existens & ob nimiam distractionem infinite paruus, collectus quasi excitatur & in certum obiectum dirigitur, de quo non ambigunt, qui vim animae perceptricem, corporumque motricem exacte perspectam habent.

§. XXVI.

Cuius oppositum est possibile, id potest mutari (§. 24.). Gradus itaque, quia sunt limites (§. 25.), ideoque possunt non adesse (§. 22.), mutari queunt, & propterea simplicia sunt mutabilia (§. 25.).

§. XXVII.

Vbicunque aliqua realitas perit, eiusque oppositum oritur, huius debet esse ratio, ideoque omnis mutatio suam supponit

ponit rationem (§. 24.) Ratio mutationis est vel in ente, quod eam subit, vel extra illud. Mutatio, cuius ratio est in ente, quod mutatur, dicitur actio, cuius vero ratio extra illud, passio. Omnis igitur mutatio est vel actio, vel passio, vtraque variatio limites (§. 24.)

Schol. 1. Licet nulla limitum variatio in Deo sit possibilis, eum tamen agere dubio procul est, quia rationem mutationum continet. Ipsae autem mutationes, vtpote imperfectiones, a Deo remouendae, et in earum locum aliae perfectiones substituendae sunt, id quod eminenter seu κατ' ἐξοχήν praedicare dicitur. Eodem modo Deo tribuitur memoria, licet nostrae sit coniuncta imperfectio, memoria enim supponit obliuionem, quae non cadit in intellectum infinitum, ideoque Deus modo digniori & eminentiori reminiscitur.

Schol. 2. Methaphysici plerumque ab actione distingunt actum, quem vocant omnem existentiam, qua possibilitas aliqua completur. Vnde variae eius diuisiones. Existentia omnia, quae habet, per se ipsam habens, dicitur actus purus: nonnulla vero aliunde recipiens, impurus, admixtam enim habet possibilitatem. Actus primus est omnis existentia sese nondum testatam reddens, secundus, quae agendo se exserit. Differt itaque actus primus a

potentia seu facultate, quae est mera agendi possibilitas. Diuidunt quoque actum in entitatiuum, si quid tantummodo in sua spectatur sola essentia & existentia, & formalem, si quid cum omnibus cogitatur affectionibus. Actus porro Methaphysicis est vel signatus, vel exercitus. Actus signatus est conceptus rei abstractus, ideoque reuera actus non est; abstracta enim & vniuersalia non existunt. Actus exercitus est adplicatio actus signati generalis. Sunt distinctiones, quas obiectionibus obviam ituri excogitarunt.

§. XXVIII.

Limites variari nequeunt, nisi aliqua adsit variationis possibilitas (§. 4.) hinc omnis mutatio supponit aliquam possibilitatem (§. 24.) Possibilitas mutationis dicitur dispositio: omnis itaque actio omnis passio requirit dispositionem (§. 27.) Dispositio agendi dicitur facultas, seu dispositio in specie; patiendi vero receptiuitas: Omnis igitur actio supponit facultatem, omnis passio receptiuitatem.

Schol. Vti possibilis est mutatio, ita existit. Hinc causa agit pro receptiuitate obiecti.

§. XXIX.

Quum a possibilitate non valeat consequentia ad existentiam (§. 4.): facultas non est ratio, quod existat actio (§. 28.);

sed

ſed omnis actio praeter facultatem aliud quoddam ſupponit. Ratio ſufficiens actionis exiſtentis eſt conatus agendi, qui appellatur vis: hinc omnis actio ſupponit aliquam vim (§. 27.)

Schol. Actio igitur, facultas & vis differunt vt exiſtentia, poſſibilitas & ratio exiſtentiae.

§. XXX.

Ens vi praeditum dicitur ſubſtantia: continet igitur ſubſtantia rationem, cur exiſtat actio (§. 29.) item cur ſit poſſibilis, ſeu facultatem (§. 4. 28.). Realitates itaque ſeu affectiones non poſſunt eſſe ſubſtantiae (§. 1.): multo minus defectus & imposſibilitates. Si quis igitur peccatum dicat ſubſtantiam: coelum terra miſceret.

Schol. Veterum Philoſophorum chorus ſubſtantiam dicit ens per ſe exiſtens, i. e. aliis non inhaerens. Quum itaque attributa, modi & relationes omnes per alia exiſtant: ſubſtantia nec attributum eſt, nec modus, nec relatio. Sola autem eſſentia nulli alteri inhaeret: ideoque ſubſtantia nihil aliud eſt, quam exiſtens eſſentia. Sed quicquid exiſtit, conatum agendi ſeu vim habet: & proinde ſubſtantia eſt ens vi praeditum. Quare nihil hic valet eorum opinio, qui ſubſtantiam, neſcio quod, obſcurum obiectum eſſe, ſibi perſuadent, quod, licet non-

nullis eius praedicatis intellectis, minime repraesentari queat. Si quis enim essentiam rei seu primum eius conceptum cum existentia cognitum habet: eum non fugit, quid sit substantia. Novi, quid illustr. Thomasius definitioni substantiae opponat in Dialogo iurisprudentiae Diuin. subiuncto pag. 647. sed, ni fallor, suppositum non distinguit a substantia.

§. XXXI.

Quod per se non est possibile, etiam per se non existit (§. 4.): limites igitur in ente per ipsum ens existunt, seu in eo habent rationem suae existentiae (§. 22.). Hinc etiam gradus supponunt suae existentiae rationem in simplicibus (§. 25.): & proinde simplicia suos gradus agendo producunt (§. 27.)

§. XXXII.

Quoniam simplicia agunt (§. 31.): non possunt non habere facultatem (§. 28.) & necessarioaliqua vi instructa sunt (§. 29.)

§. XXXIII.

Quum simplicia vi instructa sint (§. 32.): simplicia sunt substantiae (§. 30.)

Schol. Substantia omnis non potest non esse simplex. Substantia enim est vis agendi, vis agendi non constituitur ex pluribus distinctis viribus, alias enim vnica vis non esset vnica, ideoque in vnaquaque substantia non possunt plura

ra a se inuicem separabilia existere, ergo non habet partes & proinde simplex est. Composita igitur, qua talia, non sunt substantiae, sed substantiarum aggregata, certo modo coeuntium. Sunt ne igitur accidentia et modi? Resp. ens compositum, qua ens neutiquam est accidens, est enim plurium entium complexus quatenus vero est compositum, seu quatenus plures substantiae simplices hoc vel illo modo combinantur, omnino earum complexus modus est & accidens.

§. XXXIV.

Omnis ratio aliquid determinat, nisi adsit ratio contraria seu impedimentum (per princ. rat. suff.): ex quacumque igitur vi non impedita perpetuo sequuntur actiones (§. 29.). Proinde simplicia, quum se ipsa impedire nequeant (per princ. contradict. indefinenter agunt (§. 32.)

Schol. De anima, vtpote ente simplici, probat hoc experientia. Si quis enim attentus sit: repraesentationes & conatus indefinenti serie se inuicem excipere animaduerter.

§. XXXV.

Quum omnis mutatio sit variatio limitis (§. 24.); haec autem non possit talis non esse, quales sunt limites: actiones simplicium ita comparatae sunt, vti se habent eorum gradus (§. 27. 25.)

§. XXXVI.

Gradus determinantur per essentiam simplicium (§. 25. 22.); quales vero gradus, tales quoque actiones sunt simplicium (§. 35.): ergo per essentiam simplicium potest intelligi, quales sint eorum actiones.

§. XXXVII.

Comprehendere est distincte seu ex ratione cognoscere. Actiones simplicium ex ratione possunt cognosci (§. 27.) ideoque per vim simplicium sunt comprehensibiles (§. 29.) & ita ex ipsis simplicibus (§. 32.). Quare, si non essent substantiae, non agerent modo comprehensibili (§. 30.).

§. XXXVIII.

Verum est, quod suae innititur rationi. Falsum seu fictitium, quod nullam habet rationem. Quodcunque igitur comprehendi potest, verum, quod non, fictitium est (§. 37.) Ergo actiones simplicium verae sunt, nullae falsae, quia sunt substantiae (§. citat.).

§. XXXIX.

Tribuuntur itaque actiones fictitiae simplicibus, si illis ratio deest (§. 38.): ideo-

ideoque, si per vim simplicium non possunt comprehendi (§. 37.)

Schol. Aliud est, in se & absolute non posse comprehendi: aliud respectiue. Illud tantum est fictitium, quod autem non datur: hoc verum.

§. XL.

Actiones porro simplicium comprehendi possunt & verae sunt, si respondent eorum gradibus (§. 37. 38. 35.): comprehendi autem non possunt & fictitiae sunt, si gradibus simplicium sunt incongruae (§. §. cit.)

§. XLI.

Verae itaque actiones sunt simplicium, si eorum essentiae non repugnant, contra, si repugnant, falsae (§. 36. 38.).

§. XLII.

Gradus simplicium non solum mutari possunt (§. 26.), sed & actu mutantur. Quum enim simplicia non impedita indesinenter agant (§. 34.); omnes vero eorum actiones sint variationes graduum (§. 24. 25.): simplicia suos gradus actu innouant.

§. XLIII.

Ens compositum in hoc mundo constitutum dicitur corpus. Quicquid igitur valet de composito in genere, id quo-

que de corpore verum est. Non autem quod corpori competit, soli inest compositio.

Schol. Complexus igitur omnium corporum, seu mundus corporeus vniuersus compositum quidem est, non vero corpus.

§. XLIV.

Omne corpus occupat spatium (§. 8. 43.) & est extensum (§. 9. 43.)

§. XLV.

Quia omne corpus in hoc mundo, & ita inter alia corpora constitutum est (§. 43.): eius extensio habet terminos, ideoque omne corpus aliqua figura est circumscriptum (§. 9.)

§. XLVI.

Omne corpus habet magnitudinem (§. 10. 43.) certam ac determinatam (§. 45.): ideoque omnes corpus est mensurabile (§. 10.)

§. XLVII.

Omne corpus est diuisibile & primis partibus constituitur simplicibus. (§. 6. 43.)

§. XLVIII.

Entia simplicia, quae corpora constituunt, dicuntur elementa. Quod igitur de simplicibus verum est in genere, id quo-

quoque competit elementis, non vice versa.

§. XLIX.

Elementa non occupant spatium, non sunt extensa, nulla figura, nullaque gaudent magnitudine, maiora fieri non possunt, nec minora, & denique non nisi creatione oriuntur, non nisi annihilatione intereunt (§. 12. 48.)

§. L.

Elementa nequaquam possunt per sensus cognosci, sed per solam rationem innotescunt (§. 13. 48.)

§. LI.

In omni elemento non solum est aliquid perdurans (§. 21. 48.): sed & quodvis illorum gradibus est affectum (§. 23. 25. 48.), quorum mutabilitas ipsa elementa reddit mutabilia (§. 26. 48.).

§. LII.

Gradus elementorum oriuntur per ipsorum actiones (§. 31. 48.).

§. LIII.

Elementa & facultatem habent & vim agendi (§. 32. 48.) atque sunt substantiae (§. 33. 48.)

§. LIV.

Elementa producunt actiones veras &

comprehenſibiles (§. 34. 37. 38. 48.): ideoque ſuos gradus mutant indeſinenter (§. 42.)

Schol. Quam maxime igitur diſtamus ab opinione Epicuri & Pythagorae, quam de elementis commenti ſunt. Pythagoras ſibi finxit elementa & quantitate & qualitate deſtituta, Epicurus qualitate quidem non autem quantitate carentia, quae dixit atomos. Noſtrorum elementorum ob firmiſſimas rationes nulla eſt quantitas ſcilicet extenſa, competunt vero iis qualitates, quia ad vnum omnia certa vi gaudent. Hinc noſtra ſententia nec Epicuraea eſt, nec Pythagoraea, quare etiam argumenta, quae iis opponi poſſunt ſolidiſſima, nos non feriunt. Itaque contra nos non militat argumentum notiſſimi illius Sceptici, Sexti Empirici in Hypotyp. Pyrrhonismi L. III. Cap. 7. pag. 138. 139. Eſt proinde certum, elementa agere. Quaenam eorum ſint actiones, in ſequentibus dilucidandum eſt.

§. LV.

Locus eſt modus coëxiſtendi cum aliis. Hinc ne duo quidem eundem locum obtinent: eſſent enim vnum. Diverſae autem collocationis ratio non poteſt elementis non ineſſe (per princ. rat. ſuffic.): ergo quoduis elementum a caeteris omnibus eſt diuerſum.

Schol. Et ſimplicibus igitur & compoſitis locum tribui-

tribuimus, ideoque locus nobis idem sonat, quod antiquioribus *Vbi*. Definiuerunt autem veteres, quantum quidem ex intricatis & synonymicis eorum definitionibus colligi potest, τὸ vbi per modum, quo ens cum aliis simul existit. Weiss. Metaphys. Cap. 7. pag. 109. Diuiserunt in vbi circumscriptiuum & definitiuum, illud est locus compositi, hoc vero simplicis finiti. Thomas. Log. Cap. 16. Quaest. 10. pag. 43.

§. LVI.

Quum entia a se inuicem differre nequeant in essentialibus, sed tantummodo limitibus (§. 23.) elementorum gradus omnem eorum efficiunt diuersitatem (§. 25.)

Schol. Complexus eorum, quibus vnum ab altero differt est forma rei, quae proinde constituitur rerum limitibus. Quicquid igitur in seq. de limitibus & gradibus elementorum asseritur, id etiam valet de earum forma. Caeterum ingens controuersia scholasticos inter & Cartesianos exorta est de formis corporum substantialibus. Illi quidem statuebant dari formas corporum substantiales & immateriales, quas Cartesiani autem mirifice perstrinxerunt. Tota vero lis, si non omnis est logomachia, vtramque sententiam combinando facile componitur.

§. LVII.

§. LVII.

Gradus elementorum oriuntur per ipsorum actiones (§. 52.): hinc omnes elementorum diuersitates sunt eorumdem actiones (§. 56.).

§. LVIII.

Quia omnes actiones proficiscuntur a vi (§. 29.): omnis quoque elementorum diuersitas pendet a vi elementari (§ 57.); ideoque a se inuicem differunt, quia sunt substantiae (§. 30.)

§. LIX.

Elementa continuo actiones producunt (§. 54.): ergo perpetuo nouas diuersitates efficiunt, quae verae sunt & comprehendi queunt (§. 57.)

§. LX.

Quoduis elementum a caeteris omnibus est diuersum (§. 55.), id quod efficit eorum vis agendi (§. 58.): ergo vniuscuiusque elementi vis ad caetera omnia in agendo respicit.

§. LXI.

Quum elementa corpora constituant (§. 48.); illa autem ad vnum omnia a se inuicem distincta sint (§. 55.): innumerorum corporum non dantur duo perfe-

cte

cte eadem, sed omnia a se mutuo sunt diuersa; omnes enim partes & totum sunt vnum idemque.

Schol. Non dantur itaque & duo simplicia & duo composita perfecte eadem, ideoque duo perfecte eadem omnino non existunt. Et hoc est principium illud indiscernibilium, quo negatur, idem posse bis existere. Probatur & a priori & a posteriori. A priori quidem; 1. quia perfecte eadem sunt vnum, non plura 2. quia plura totidem etiam loca occupant; si enim duo eundem locum obtinent, non sunt duo, sed vnum. Diuersa autem collocatio supponit diuersa collocata (pr. rat. suffic.) A posteriori; quia nemo vnquam in duas res perfecte easdem, ita vt nullum inter eas discrimen aduerti queat, incidit. Confer. Leibniz. Recueil. Tom. I. pag. 50. cuius enim nullum adferri potest exemplum, illud, nisi a priori certum sit, sine ratione assumitur. Nec quicquam profecit sua exceptione Clarckius Recueil. pag. 65. Quamvis sensibus nulla in corporibus perfecta similitudo detegatur, attamen procul dubio aliter se habere in vltimis materiae partibus existimat. Huic enim sine ratione assumto irrefragibile obstat argumentum a priori. Vnitas quoque Dei nullo pacto, si falsum est principium indiscernibilium, contra Polytheismum stabiliri potest. Plures possunt esse Dii, si existere possunt perfecte similia. Confer. Gottsched. in den ersten Grün-

Gründen der Weltweißheit. pag. 120. Faciat, cui volupe est, rei periculum, & legat dissertationem Steinwehrii, in qua argumenta pro vnitate Dei expensa sunt, numquid nisi straminеum & ruinosum seposito hoc principio in medium afferre possit. Fuisse autem principium indiscernibilium etiam veteribus cognitum, clarissime testantur verba Ciceronis, quae leguntur Quaest. Academic. L. IV. c. 18. T. IV. *Dilucide* inquit, *docetur a politioribus physicis: singularum rerum singulas proprietates esse. Fac enim antiquos illos Seruilios, qui gemini fuerunt, tam similes, quam dicuntur: num censes etiam eosdem fuisse? Non cognoscebantur foras, at Domi: non ab alienis, at a suis. Videsne, vt in prouerbio sit ouorum similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures (saluis rebus illis) qui gallinas alere permultas quaestus caussa solerent. Hi, cum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant. Neque id est contra nos. Nam nobis satis est, oua illa internoscere.* In specie vocum miram esse diuersitatem agnouit Plinius L. XI. c. 51. Hist. Nat. p. 215. Vbi ita: *Totidem sunt voces quot in rerum natura mortales sua cuique sicut facies. Hinc illa gentium, totque linguarum toto orbe diuersitas. Hinc tot cantus & moduli, flexionesque.*

§. LXII.

Singula igitur corpora differunt a caeteris

teris omnibus propter perpetuam elementorum differentiam (§. 61.), quae ab eorum vi dependet (§. 58.): hinc omnis omnium corporum varietas ortum trahit a vi elementari.

Schol. Si omnia corpora a se mutuo sunt diuersa: in immensa terrarum mole ne binae quidem existunt arenulae, in vastissimae extensionis oceano ne duae quidem guttulae, nec totidem in vniuersa aeris aetherisque expansione esse possunt particulae, quarum vna alteram exacte referat. Omnis autem stupenda ista varietas, quam vix ac ne vix quidem potest concipere, qui minutissimas spatii aeque ac temporis diuisiones habet perspectas, dependet a vi elementari.

§. LXIII.

Quoduis elementum rationem diuersae collocationis contineat necesse est (§. 55.) Ex identitate autem nulla sequitur diuersitas (per princ. rat. suff.): ergo ratio diuersae collocationis non est in essentia elementorum (§. 23.), sed potius in mutabilibus, ideoque in gradibus (25. 22.)

§. LXIV.

Quia gradus elementorum oriuntur ex eorum actionibus (§. 52.): etiam diuersa elementorum collocatio pendet ab illorum actionibus (§. 63.). Proficiscitur

tur

tur itaque a vi elementorum, vt singula hunc potius, quam alium locum occupent (§. 29.).

§. LXV.

Non solum diuersimodae coëxistentiae ratio gradibus elementorum inest (§. 63.): sed & rationem coëxistentiae cum his potius, quam cum aliis illi continent (§. citat.), seu ex gradibus potest comprehendi, cur singula elementa cum his potius, quam aliis coëxistant (§. 37.).

§. LXVI.

Ex actionibus igitur elementorum sequitur singulorum cum certis aliis coëxistentia (§. 65. 64.): ideoque dependet a vi elementari (§. 29.).

§. LXVII.

Quum locus vniuscuiusque elementi diuersus sit a collocatione caeterorum omnium (§. 55.): ille non solum locum caeterorum omnium aliquali respectu determinat (§. cit.); verum etiam, quia a cuiusuis gradibus dependet (§. 63.), reliquorum omnium gradus respicit. Quum vero locus vi ortum debeat (§. 64.); vniuscuiusque elementi vis varia caeterorum omnium expressa tenet.

Schol.

Schol. Deus igitur, qui omnia ſumma diſtinctione perſpecta habet, vnius elementi vim intuendo, omnia, quae ceteris omnibus inſunt, exacte cognoſcit.

§. LXVIII.

Varia alicuius exprimere dicitur repraeſentare. Hinc vnicuique elemento ineſt vis repraeſentatiua, qua nempe loca caeterorum omnium aeque, ac gradus, exprimit ſeu in agendo reſpicit. (§. 67.)

Schol. Haec eſt ſimplicium infinitudo relatiua, qua ſingula innumeris relationibus totum hoc vniuerſum infinite extenſum repraeſentando, omnes omnino ſubſtantias reſpiciunt, ita vt quaeuis ſubſtantia ſimplex infinitatis diuinae, quae abſoluta eſt, ſimulacrum quaſi gerat. Quicquid enim in mundo exiſtit, ad illud ſubſtantia omnis remotiſſime, remotius, remote, propinque, propius, proxime accedit. Sed aliae aliis praeſtantiores cum caeteris habent relationes. Quemadmodum animae noſtrae elementa longe ſuperant, quibus agendi quidem vis ad totum hoc vniuerſum relata, ſed omni adperceptione deſtituta ineſt. Sic animae noſtrae abyſſus infinitudinem quandam habet relatiuam, quippe quae nihil aliud eſt, quam innumerarum relatarum repraeſentationum multitudo. De abyſſo animae pluribus egit celeb.

Canzius in vſu Philoſ. Leibn. & VVolf. T. II. p. 10. §. 7. ſeq. vsque ad 44. Huc quoque faciunt, quae de fundo animae diſſerit Poiret in Erudit. ſol. L. I. P. I. p. 17. §. 12. & in Fide & ration. collat. p. 41. Theſ. II. §. 62. & laudatus Canzius in conſenſu Philoſoph. VVolf. cum Theol. p. 92. Probe autem velim diſtinguas inter infinitudinem relatiuam & abſolutam, vt ab obiectionibus tutus eſſe queas.

§. LXIX.

Omne id, quod intuenti alteri varia alicuius exprimit, vocatur ſpeculum. Quicquid igitur alterum repraeſentat, eius ſpeculum dici poteſt (§. 68.).

§. LXX.

Elementa igitur per ſuam vim abeunt ſingula in ſpecula reliquorum omnium (§. 68. 69.) omniumque corporum (§. 48.) i. e. totius vniuerſi.

§. LXXI.

Connexa dicuntur, quorum vnum continet rationem alterius, ſeu, quod idem eſt, quorum vnum non poteſt concipi ſine altero. Quum itaque locus vniuscuiusque elementi non poſſit concipi ſine collocatione reliquorum omnium (§. 67.) quoduis elementum cum cae-

caeteris omnibus per suam collocationem est connexum.

§. LXXII.

Collocatio elementorum per eorum vim determinatur (§. 64.) Hinc omnia elementa per suam vim sunt connexa (§. 71.)

§. LXXIII.

Idem est inter se consentire & sibi non contradicere. Quum igitur illa, quorum vnum continet rationem alterius, sibi non contradicant, omnia, quae connexa sunt, inter se consentiunt (§. 71.)

§. LXXIV.

Elementa sibi omnia mutuo sunt connexa (§. 71.) & quidem per suam vim (§. 72.) Hinc etiam omnia per suam vim inter se consentiunt (§. 73.)

§. LXXV.

Consensus in agendo dicitur harmonia. Elementa omnia per suam vim consentiunt (§. 74.) Hinc non solum illis elementis omnibus, sed & omnibus corporibus harmonia intercedit (§. 48.)

Schol. En! vniuersalem illam rerum omnium harmoniam, quae non nullis visa est dictu propemodum nefaria. Certum nimirum est, res

omnes aliquo modo plus, minus inter se esse similes, ideoque indubium etiam omnia in agendo sibi mutuo respondere. Similitudo vero in agendo seu consensus efficit harmoniam. Hinc vniuersalis quaedam harmonia obtinet, quae non partialem aliquem huius vniuersi ordinem, sed totalem omnino omnem, non solum regnum naturae, sed & regnum gratiae comprehendit. Quamuis vnum ab altero sit distinctum, manet tamen vtrumque connexum, ita, vt vniuersalis omnium harmonia emergat. Minime igitur ista rerum harmonia excludit operationes Spiritus S. in regno gratiae miraculosas, vt nonnulli sibi persuadent, sed omnes aptissime cohaerentes reddit. Omnia enim in vniverso phoenomena a Deo siue naturali, siue supra naturali modo praestanda ipse ab aeterno ita coordinauit, vt sibi omnia pulcherrimo nexu responderent, similia semper exciperent similia.

§. LXXVI.

Omnia elementa aeque ac corpora harmonia gaudent, illorum faciente collocatione (§. 75. 73. 71.); sed vniuscuiusque elementi locus pendet ab illius mutabilibus & diuersitatibus (§. 63.): Elementa proinde & corpora in harmonia sunt, quia a se inuicem sunt diuersa.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Elementa omnia, omniaque corpora sunt in harmonia, efficiente eam vi elementari (§. 76. 58.)

§. LXXVIII.

Perfectio est consensus plurium in constituendo vno. Corpora igitur, quorum partes elementa sunt (§. 48.) ad vnum omnia sunt perfecta (§. 74.) Et quum mundus sit series rerum per tempus & spatium connexarum: vniuersus mundus corporeus perfectus euadit.

Schol. Dissentit circa definitionem perfectionis Aristoteles cum turba Scholasticorum, qui perfectum vocant id, in quo nihil eorum, quae praesto esse debent, desiderari potest. Sed nemo, nisi partium studio deditus, non videt, hanc definitionem non esse distinctam perfectionis notionem, sed locutionem tantum synonymicam. Nobiscum eamdem perfectionis ideam, vt alios praeteream, format celeberrimus IOH. CHRISTOPH. GOTTSCHED in den ersten Gründen der gesamten Weltweißheit p. 132. §. 249. ita enim perspicue: Wann vieles in einem Dinge wol überein stimmet, so, daß es nach einer allgemeinen Regul eingerichtet worden, so nennet man solch ein Ding vollkommen. Perfectio rei, quatenus voluptatem creat, dicitur pulchritudo &

ornatus. Conf. idem GOTTSCHED l. c. vbi pulchritudinem his verbis definit: Wann eine ſolche Vollkommenheit in die Sinne fält, und ohne Deutlichkeit eingeſehen zu werden klar empfunden wird, ſo heißt ſie Schönheit. Non nihil hac de re perſpectum habuit Plutarchus in Quaeſt. Platon. T. II. p. 1004. lit. D. τὸ δὲ κάλλος ὁμοιότητι τῇ πρὸς τὰ θεῖα κινεῖ καὶ ἀναμιμνήσκει τὴν ψυχήν. Nec magnopere a nobis diſſidet Suidas in voce κάλλος. T. I. p. 1362. Verba eius haec ſunt: κάλλος συμμετρία τῶν ἀνομοιομερῶν ἐν ἡμῖν μερῶν. Quid ſit συμμετρία ſ. commenſuratio explicat Suidas in voce συμμετρία p. 827. T. II. συμμετρία ὁμόνυμον, ὥσπερ καὶ τὸ σύμμετρον. σύμμετρα γὰρ τὰ τῷ αὐτῷ μέτρῳ μετρούμενα. καὶ τὰ οἰκεῖα ἑκάτω καὶ ἀρκοῦντα ἢ κατὰ τὸ πλῆθος, ἢ κατὰ τὸ μέγεθος, ἢ κατὰ ποιότη]α, καὶ κατὰ τὰς δυνάμεις ἀνάλογον ἔχοντα. Pulchritudinem vero & perfectionem ſemper in ſymmetria quadam plurium ad vnum relatorum conſiſtere, in dubium vocari poſſet, ſaepiſſime enim voluptatem ex aliqua re capimus, cuius partium nullum in vno conſenſum reperimus. Quis eſt, qui ſemper ſymmetriam aliquam adeſſe animaduertat, quotiescunque ex picturae egregiae contemplatione, ex ſonorum concentu ſuauiſſimo iucunditatem ſentit? Quodſi innumera in anima contingunt, quorum non ſumus conſcii, mirum quoque non eſt,

est, animam ex intuitu perfectionis voluptatem capere, quamuis nullius symmetriae conscia sit. Praeclare in hanc rem disserit Leibnizius, in den verthädigten systemate Harmon. praestabil. p. 93. 94. his verbis: Ich habe anderswo gezeiget, daß die undeutlichen Empfindungen von der Lieblichkeit oder Unannehmlichkeit, die sich in den Wohl- oder Ubelklang befindet, in einer verborgenen Arithmetic bestehe. Die Seele zählet die Schläge der klingenden Cörper, welche in der Vibration sind, und wen diese Schläge ordentlich und nach kleinen Interuallis mit einander zusammen treffen, so fühlet sie ein Vergnügen. Und also verrichtet sie diese Rechnung, ohne daß sie es weiß. Daher geschiehet es auch, daß die Seele unendlich andere kleine aber anbei sehr wohl zusammen stimmende Würckungen ausübet, ob sie gleich nicht von ihren Willen herrühren, noch anders erkandt worden, als so fern sie einen sehr merecklichen Effect, worauf sie endlich abzielen und zusammen lauffen, gewinnen ꝛc.

§. LXXIX.

Vniuersalis omnium elementorum, omniumque corporum, i. e. totius vniuersi perfectio vi elementari debet originem. (§. 78. 74.)

§. LXXX.

Elementa igitur, si vi destituta essent, nullas actiones producerent (§. 29.) nullis gradibus affecta essent (§. 52.) nec vllo modo a se inuicem differrent (§. 58.) sed illa aeque ac omnia corpora essent perfecte eadem (§. 62.) & proinde omnia vnum eundemque locum occuparent (§. 64.) Porro, nullus iis nexus intercederet (§. 72.) nullus consensus (§. 74.) & ab omni aliena essent harmonia (§. 77.) Hinc nulla elementis aeque ac corporibus, nulla huic vniuerso posset tribui perfectio (§. 79.)

Schol. Quaenam igitur sit vis elementaris, quinam eius effectus, adhuc eruimus. Forsan inquis minimum vis elementaris momentum in his actionibus positum est. Eorte longe alia est vis elementaris, longe alii eius effectus, quos nostra cognitione non attingimus. Verum cum Leibnizio Tom. II. Epist. pag. 119. tuto licet asserere: Quod non potest praesumi, id nullius instar est. Si nullae adsunt rationes, ob quas praeter commemoratam & in sequentibus euincendam alia vis in elementis statui queat, alia etiam nulla praesumi potest; quicquid enim existit, per suum conatum existentiam testatur. Nisi igitur luculentas rationes sub-

stratas

ſtratas habeas, tua vis elementaris nulla eſt.

§. LXXXI.

Vnum eſt, quod perfectam cum ſe ipſo habet identitatem. Quum itaque plura inter ſe connexa ita comparata ſint, ut eorum nullum a caeteris ſeparari queat (§. 71.): illa ſimul ſumta habent perfectam identitatem cum ſe ipſis & proinde vnum conſtituunt. Elementa igitur conſtituunt vnum. (§. citat.)

§. LXXXII.

Elementa ſunt plura extra ſe poſita, quia a ſe inuicem differunt, (§. 8. 55.) & per ſuum nexum vnum conſtituunt (§. 81.) Hinc elementa ſunt partes conſtituentes compoſitum (§. 2.) Ac proinde corpora omnia conſtant elementis (§. 43.)

Schol. Summam ſibi veteres de compoſitione continui finxerunt difficultatem, quae vel acutiſſimos per tot ſecula exagitauit Philoſophos. Teſtis eſt Leibnizius in praefat. Theodic. Il y a deux Labyrinthes fameux, ou notre raiſon s'egare bien ſouvent: l'un regarde la grande queſtion du libere & du neceſſaire, ſur tout dans la production & dans l'origine du mal. L'autre conſiſte dans la diſcuſſion de la con-

tinuité & des indiuisibles, qui en paroissent les elemens, on doit entrer la consideration de l'infini. Pertinet huc Liberti Fromondi Liber, Labyrinthus de compositione continui. Notauit eam Aristoteles Physicor. L. IV. C. I. pag. 237. hunc fere in modum: *Cuiusque corporis, si quod existit, partes non possunt non esse continuae & ex atomis natae. Continua vero illa, quorum vltima sunt vnum, & proinde atomos in constituendo continuo ita coniungi oportet, vt earum vltima in vnum coëant. Sed atomi nec partes primas habent nec vltimas, ideoque per eas continuum oriri nequit.* Sed continua, mathematico quidem, minime autem physico sensu, dici possunt, quorum vltima sunt vnum. Quomodo enim partes corporis in vnum coire possunt, quum sint a se inuicem necessario distinctae. Continua autem in Physicis ea sunt, quae immediate cohaerent, ita vt nihil possit intercedere. Leibnizius quidem in praemissis Theor. fundam. pag. 418. num. 16. dicit, terminos corporum cohaerentium esse vnum; hoc loco autem non intelligit, eos coincidere in vnum simplex mathematicum, sed compositum physicum, quia hoc vnum ex duabus viribus sibi mutuo contrariis, seu in se inuicem agentibus coaluisse praestruit. conf. Leibnizius Recueil P.II.p.139. Wolf. Phys. P.I.p.13.-16. Cosmolog. Lat. Sect. II. c.III. Bilfing. dilucid. p.94. 103. 205.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Elementa non ſolum per ſuam vim diuerſa (§. 58.) ſed etiam inter ſe connexa ſunt (§. 72.) Hinc etiam corpora per ſuam vim conſtituunt (§. 82. 81.)

§. LXXXIV.

Quodſi igitur elementa indiuiſibilia quidem eſſent, ſed perfecte aeadem, vbi vi deſtituta ſe haberent (§. 58.) corpora ex iis conſtitui eſſet impoſſibile (§. 82.) Hinc qui elementa ſibi concipiunt punctorum inſtar mathematicorum, vt nullis diſtincta qualitatibus, compoſitionem corporum nequicquam aſſequi contendunt.

§. LXXXV.

Quum elementa ſint entia ſimplicia, corpora vero compoſita (§. 48. 43.) nihil eorum, quae corporibus, qua compoſitis, inſunt, elementis competit, nec horum vlla affectio corporibus poteſt tribui (§. 12.) Longe igitur alio modo concipienda ſunt elementa, quam corpora.

§. LXXXVI.

Imaginatio ſenſationes olim formatas reſu-

resuscitat (per princ. Phycholog.) ideoque nullas nisi eorum, quae in organa sensoria agere possunt, cogitationes producit, & proinde non nisi quae corpora sunt, repraesentare potest.

§. LXXXVII.

Quum igitur corpora ab elementis longe differant (§. 85.) ope imaginationis nullus, saltim erroneus elementorum conceptus adquiritur (§. 86.) Quare in perspiciendis elementis imaginatio minime est in auxilium vocanda.

Schol. Confer. Wolfii Metaphys. Germana pag. 528. §. 604. vbi ita: Nur müssen wir uns den innern und äussern Zustand der einfachen Dinge nicht einbilden wollen, denn was wir uns einbilden, sind zusammen gesetzte Dinge, da wir vieles in einem Bilde zusammen bringen, das wir nicht deutlich von einander unterscheiden können. Cauendum igitur, ne de anima quicquam imaginemur. Quum animam ad instar rei materialis conciperent Democritus & Epicurus, eam somniarunt esse materialem, animam aeque ac corpus, sed paulo tenuiori materia compositam esse opinantes. vid. Lucretius de rerum Natura L. III. p. 308. 309. quo deinceps factum, vt immortalitatem animae negarent, vti Demonax apud Lucian.

T. I. pag. 866. qui, ἄλλα ἐρομένα, εἰ ἀθάνατος αὐτῷ ἡ ψυχὴ δοκεῖ εἶναι, ἀθάνατος ἔφη ἀλλ' ὡς πάντα.

§. LXXXVIII.

Quaecunque a se inuicem diuersa sunt, ea dicuntur extra se posita, ea occupant spatium (§. 8.) Quum igitur elementa omnia a se inuicem diuersa sint (§. 55.) sunt etiam extra se posita, ideoque spatium occupant.

Schol. Quemadmodum vnum est extra alterum, si ab eo differt, sic quoque vnum est in altero, quando ab eo non est distinctum. Ideoque per principium indiscernibilium omnia entia diuersa sunt extra se posita, nullum autem omni respectu existit in altero. Est vero vnum in altero formaliter, si quoad varia essentialia ab eo non differt; extra alterum formaliter, si quoad illa differt ab altero. Physice vnum est in altero, quod eandem cum altero actionem producit; physice aliud est extra aliud, quod diuersam ab alterius actione operationem praestat.

§. LXXXIX.

Quodsi plura elementa spatium occupant (§. 88.) & alia aliis plus, minus possunt esse connexa (71.) simul sumta constitu-

ſtituunt extenſum (§. 9.) Vnde non poſſunt corpora non eſſe extenſa (§. 82.)

§. XC.

Minimum extenſum eſt, quod minimum occupat ſpatium (§. 9.) ideoque cui minima competit pluralitas (§. 8.) i. e. dualitas. Ergo duo elementa ſimultanea minimum efficiunt extenſum, vti duo ſucceſſiua minimum tempus; tempus enim eſt ordo ſeu identitas rerum quatenus ſibi inuicem ſuccedunt. Vid. Wolfii Metaph. germ. pag. 38. 39. §. 94. Bilfing. Dilucidat. §. 101. p. 193. Recueil de diuerſ. piec. entre Neuton, &c. T. 1. p. 111. §. 149. vbi dicitur vne choſe ideale Wolf. Ontol. Lat. p. 443. §. 572.

Schol. Quaeritur, vtrum corpus per acceſſionem vnius elementi maius euadat? Si ita, hoc elementum habet magnitudinem; ſi non, elementum eſt inſtar nihili, quod vel ſex centies multiplicatum nullam efficit magnitudinem. Reſp. Verum eſt omnino, corpus per vnum elementum maius fieri, falſum autem, ideo elemento ſuam eſſe magnitudinem. Quemadmodum enim numerus vnitate auctus maior fit, haec autem idcirco non eſt numerus, ſic etiam corpus acceſſione vnius elementi creſcit, licet elemento non ſit magnitudo. Eſt autem illud

illud augmentum insensibile, quod assignari nequit; est enim respectu corporis, cui accedit, infinite paruum & minus nihilo ducendum. Praeterea videtur impossibile, vt singula elementa aliis accedant aut decedant; nam ob arctissimum omnium substantiarum nexum fieri vix poterit, vt elementa sigillatim a se inuicem dissoluantur.

§. XCI.

Elementa per suam vim diuersa & extra se posita sunt (§. 58.) per eandem igitur & spatium occupant (§. 88.) & extensum constituunt, nempe collectiue sumta (§. 89.) Pendet igitur extensio corporum a vi elementari (§. 82.)

Schol. Eadem inquis est conditio spirituum, quae elementorum. Quid igitur obstat, quo minus & illi, v. g. plures animae extensum forment? Nam plures spiritus a se mutuo sunt diuersi aeque ac elementa. Sunt itaque extra se positi & occupant spatium. Prima propositio quam maxime vacillat; spiritus enim longe aliter sese habent ac elementa, illorum vis toto coelo differt a vi elementari. Vis autem est in elementis, quae eorum efficit eiusmodi diuersitatem, extraesseitatem, si ita loqui licet, & eiusmodi occupationem spatii, vt plura simultanea fiant connexa & extensionem forment. Non igitur omnia, quibus in-

intercedit diuersitas, nisi & eodem, quo elementa inter se, nexu copulentur, extensum formant. Ideoque vires entia diuersimode quidem limitantes, ita tamen simul separantes a se inuicem, vt vel nullo vel longe alio, quam elementa, nexu sibi mutuo accedant, nullum per suas actiones extensum progenerant. Quaenam autem vis tribuenda est spiritui, quaenam animae? Resp. Spiritus gaudet omnis vi intelligendi, volendi, libere i. e. hoc aeque ac aliud agendi, & proinde ei competit regimen aliquod in nonnullas substantias exercendum. Num vero substantiae libere agentes & certo modo alias non liberas moderantes in vnum ad constituendum corpus, quemadmodum elementa, coire possunt? Ponas, spiritum cum spiritibus corpus constituturis coniungi, aut sua libertate, suoque in alias substantias regimine exuuntur, aut non. Si illud, desinunt esse spiritus, nam sine libertate spiritus est σιδηρόξυλον; si hoc, non coëunt vt constituant corpus, sed ad exercendum regimen. Similem in modum, si spiritus cum elementis coalescat, aut spiritus esse desinit, aut non ad formandum sed regendum & moderandum corpus concurrit. Sed neglecta etiam spiritus intelligentia, neglecta libertate, si ad nimiam duntaxat virium spiritualium & elementarium diuersitatem mentem applicemus, spiritum cum elementis ad generandum corpus coire, absonum esse nemo

mo non videt. Tantum enim earum est discrimen, quantum est eorum, quae quam maxime a se inuicem redduntur separata. Diuersissimae igitur actiones, diuersissimae limitationes sunt, quae prohibent, quo minus spiritus cum elementis ad vnum corpus constituendum congregari queant. Nec mirum, quum & corpora alia alio modo a se inuicem separata sint, vt in vnum coire nullo pacto possint, quod negare non audeat, qui stupendam materiae varietatem perspectam habet. Accedit, quod spiritus finiti omnes, vt suam libertatem, aliaque regendi facultatem pro lubitu exercere queant; vt, omnium repraesentandorum minime capaces, aliquo nitantur limitationis principio, suis sunt circumdati corporibus; requirunt enim praemissae in cognitione mediata & discursiua formandae, vt aliqua adsit restrictio repraesentationum & typus. Hoc autem schema non potest pars non esse vniuersi & non inuoluere multitudinem, & proinde corpus sit oportet. Conf. Leibnizius Epist. V. ad Clark. §. 61. Tom. I. du Recuel pag. 118. 119. & Theodic. §. 120. 124. Bilfing. dilucidat. p. 235. & 245. Nec noua prorsus haec est sententia. Gennadius Massiliensis Libr. de ecclesiasticis dogmatibus Cap. 12. Tom. III. oper. Aug. col. 197. scribit: *Creatura omnis corporea est, angeli & omnes coelestes virtutes corporeae, licet non carne subsistant.*

Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quod localiter circumscribuntur, sicut & anima humana, quae carne clauditur, & daemones, qui per substantiam angelicae naturae sunt. Gerh. Ioh. Vossius de orig. & progressu idololatr. L.I. c.VI. p.17.18. eorum ecclesiae patrum testimonia colligit, qui spiritus finitos omnes corporibus vestitos esse docuerunt. Sixtus Senensis Biblioth. sanct. L. V. annot. 8. p. 329. obseruat, primos ex illis, qui spiritus existere docuerint prorsus nullis corporibus regendis destinatos, fuisse scholasticos. vid. Poiret cogitat. rat. append. num. I. p. 718. Quemadmodum igitur fieri nulla ratione potest, vetante corpore humano, vt vnius hominis anima immediate ad aliorum animas accedat; sic etiam spiritus finitus in genere cum aliis finitis, e. g. angelus cum angelis ad extensum aliquod generandum, obstante corpore, proxime coniungi non potest. Deus itaque, obiici posset, nullo repraesentationum typo indigens, nulli corpori incluſus organico cum anima sancta immediate coire & extensum formare potest, quod tamen nemini nisi insanienti in mentem venire potest. Sed notandum, non nisi finita extra se ita collocari posse, vt spatium repleant; vnum enim limitatum diuersitate limitum ab altero est diuersum, adeo vt non possint per eam extra se posita non esse. Longe aliud de Deo est enuntiandum. Deus est ens infini-

infinitum i. e. nullis terminatum cancellis, ideoque limitum suorum differentia ab aliis spiritibus differre nequit. Attamen per suam infinitudinem ab vnoquoque quam maxime manet distinctus, licet per eandem cum vnoquoque sit idem. Et proinde Deus per vim suam infinitam est & intra & extra omnes substantias, ita quidem, vt illis nec magis interius nec magis exterius quicquam esse possit. Omnia enim creando & infinita potentia sustentando omnibus quam maxime est internus aeque ac externus. Vnde conficitur, Deum animae moraliter perfectae sese associantem non posse cum illa extensum constituere. Nulla igitur simplicia nisi ea, quae sunt finita, quaeque aliorum gubernationem non sunt susceptura, i. e. elementa suo coitu extensum generare possunt.

§. XCII.

Nisi igitur elementa vi instructa essent, nulla possent corpora constituere (§. 83.) nullam & ne minimam quidem formarent extensionem (§. 91.)

§. XCIII.

Cohaerent ea quae eodem modo semper coëxistentia vnum constituunt. Elementa vnum constituunt per suum nexum (§. 81.) connexa autem sunt per col-

locationem seu modum coëxistendi (§. 71.) Constituunt itaque vnum per suam coëxistentiam. Ergo cohaerent.

§. XCIV.

Elementa & certo modo per suam vim collocata sunt (§. 64. 66.) & sibi inuicem vnita (§. 81. 72.) Hinc cohaesio elementorum per eorum vim est possibilis (§. 93.)

§. XCV.

Elementa igitur per se ipsa, nec eodem modo, quo corpora cohaerere interdum putamus, cohaerent (§. 94. 85.) Quare de cohaesione elementorum minime consulenda est imaginatio (§. 87.)

Schol. Qui elementorum cohaesionem non putant esse possibilem, nisi tertium aliquod, quasi conglutinans assumatur, felici parum successu aures praebent imaginationi & mirifice fallunt.

§. XCVI.

Illa se inuicem contingunt, quae ita coëxistunt, ut tertium quoddam non existat intermedium. Binis elementis si quid esset intermedium, vel compositum esset vel simplex (§. 2.) ideoque ele-

elementa se mutuo non possunt non contingere.

Schol. Falsum igitur est hoc sensu, quod Lucretius cecinit apud Senec. Epist. 106. *Tangere enim & tangi nisi corpus nulla potest res.*

§. XCVII.

Corpora, qua talia, se mutuo possunt contingere vel ex toto vel ex parte (§. 96. 43. 2.) Ergo elementa nec ex toto, nec ex parte se contingunt (§. 85.) neutrum enim iis conuenit (§. 48. 2.) Imaginationis quidem dictamen est contrarium (§. 86.) sed nullius roboris (§. 87.)

Schol. Quum antiqui contactum atomorum vel totalem vel partialem esse opinarentur, factum est, vt summis circa earum coitum, corporumque compositionem difficultatibus sese obnoxios redderent; quae nonnullos eo adduxerunt, vt existentiam corporum in dubium vocarent. Notauit eam iam Aristoteles Physicor. Lib. VI. cap. I. pag. 237. Tom. I. Graecae eius verba latine ita sonant: *Tangit autem omne vel totum totum, vel pars partem, vel totum partem. Quum autem partes non habeat indiuisibile, totum tangat totum necesse est. Totum vero totum tangens non est continuum.* Sed, vt supra diximus, atomi sese

quidem contingunt, a contactu autem totali & partiali sunt longe alienae; sunt enim elementa simplicia nullas partes recipientia. Si elementa, inquis, se nec ex toto nec ex parte tangunt, datur membrum inter contradictorie opposita tertium. Resp. Negatur consequentia. Non enim sunt contradictorie opposita contactus totalis & partialis, nisi in iis, quae partes admittunt. Scilicet, quaecunque se mutuo tangunt, se tangunt vel per partes vel non per partes. Quae sese tangunt per partes, vel per omnes partes i. e. ex toto se tangunt, vel non per omnes i. e. ex parte. Atomi se quidem contingunt, sed non per partes, ideoque in eas nec contactus cadit totalis, nec partialis. Sed eiusmodi contactum, inquis, mihi repraesentare nequeo. Resp. Nec ego, nec omnes imaginari possunt. Sed imaginationem, intuitum eorum, quae sunt simplicium, negantem equidem nihil moror. Sufficit, intellectum ratiocinando simplicia assequi; phantasia enim non nisi imagines rerum corporearum fistit, quae olim sensibus obuia fuerunt. Ex illis autem simplicia metiri idem est ac aquam cribro haurire.

§. XCVIII.

Quia omnia elementa vi instructa sunt (§. 53.) in vnoquoque corpore datur complexus virium elementarium (§. 48.) Illis autem ad unam omnibus aliquis ne-

nexus intercedit (§. 72.) qui alias aliis plus, minus vnire potest (§. 81.) Proinde omni corpori inest aliqua vis, quae est vitium elementarium aggregatum.

§. XCIX.

Vis, quae corporibus in est, nihil aliud est, quam complexus virium elementarium (§. 98.) Hae autem nullis aliis constituuntur (§. 48. 2.) Ergo, quod de vi corporum, qua tali, verum est, de elementari praedicari nequit, & vice versa (§. 12.) Aliter itaque concipienda est vis elementaris, aliter corporea.

CAPVT. II.

DE VI MOTRICE CORPORVM.

C.

Vnumquodque elementum locum tenet a caeteris diuersum (§. 55.) cuius quidem ratio non potest non contineri in illis, quibus vnum ab altero differt, ideoque in elementorum mutabilibus i. e. gradibus (§. 63.) Gradus oriuntur per elementorum actiones (§. 31.) ideoque dependent ab eorum vi (§. 29.) Ergo & singulorum elementorum loca

per eorum vim determinantur. Gradus ſuos elementa mutant per ſuam vim (§. 54.) Mutant itaque per eandem & ſua loca. Ergo elementa habent vim locum mutandi.

Schol. Nulla, inquis, loci mutatio, nullus locus cadit in ſimplicia; ſunt quidem in certo vbi, ſed non in loco. Reſp. Si locum dicis aliquam capedinem, concedo, elementum non eſt in loco. Sed haec idea loci eſt nimis reſtricta & a corporibus deſumta. Generalius concipiatur locus oportet, vt non corporibus tantum, ſed & non compoſitis tribui queat; concipitur vero ita per modum coëxiſtendi cum caeteris. Sed mea nihil intereſt, quid ſit locus. Sufficit, elementum quoduis certo modo cum aliis coëxiſtere; id, quod indubium eſt. Hanc autem coëxiſtentiam quis neget non eſſe neceſſariam, ſed contingentem & mutabilem? Si vero eſt mutabilis, annumeranda venit modis & limitibus. Limites omnes, ſeu quicquid eſt in ente mutabile, proficiſcuntur a vi & perpetuo agendi conatu. Negas? Sic aliquid eſt ſine ratione ſufficiente; vis enim eſt ratio actionum, eſt principium limitationis. Quod cum ita ſit, & modus coëxiſtendi pendet a vi elementari. Limites variantur, conatum exercente vi. Mutatur itaque & per eamdem coëxiſtentia.

§. CI. (a)

§. CI. (a)

Mutatio loci, aut si mauis, coëxistentiae appellatur motus. Perseuerantia in loco, dicitur quies.

Schol. Et quies & motus est vel absolutus vel respectiuus. Respectiue corpus mouetur, si intuitu quorundam corporum locum mutat; absolute, si cum omnibus coëxistendi modum deserit. Corpus respectiue quiescit, si eandem cum quibusdam solum coëxistentiam seruat; absolute, si respectu omnium, quae coexistunt, in eodem loco perseuerat. Non autem datur quies absoluta; motum enim alicuius corporis prorsus nullum esse, idem est, ac corpus reuerti in meram operandi possibilitatem, omnis enim existentia agendo se testatur.

§. CI. (b)

Elementa per suam vim locum mutant (§. 100.) ideoque per eandem sese mouent (§. 101. (a) competit itaque elementis vis motrix (§. 23.)

Schol. Ab iis, qui elementis vim motricem denegant, posset obiici: Motus non est solius coëxistentiae mutatio, sed corporibus tribuitur, quatenus vna capedine egressi in aliam se recipiunt. Sed per me suo quisque abundet sensu. Est tamen indubium, omnem

motum inuoluere mutationem coëxistentiae, licet eum haec non absoluat. Quid igitur prohibet, quo minus in formando generali motus conceptu corporea exesse iubeam, & motum, quatenus est mutatio coëxistentiae, neglecta capedinis euacuatione, vniuersali sensu motum adpellem? Hoc sensu igitur mouentur elementa, & vi motrice instructa sunt; quae, cur sine reali partium multitudine concipi nequeat, equidem, quamuis diu multumque in eo fuerim, non perspicio. Omnibus, quibus hic obiicimur, difficultatibus nos inuoluit phantasiae lusus, cuius in concipiendo loco, spatio, motu, &c. incogitanter sequaces sumus. Obstat sensuum & imaginationis confusa de corporeis & insufficiens cognitio, quo minus viam a phaenomenis corporum ad primam eorum ex simplicibus originem pede libero emetiri liceat. Hisce salebris, quibus transeundis non opus est, si quis simplicia perueſtigaturus euitandis sollicite intentus sit, omnia, quae nonnullos adhuc defatigarunt, impedimenta remouebit.

§. CII.

Quum plures elementorum vires vires corporum efficiant (§. 98.) illas in unoquoque corpore vim motricem compositam efficere, quis dubitet (§. 101. b.)

Schol. Si vis, qua viuificantur elementa est vis motrix, nullo negotio deinceps explicari potest

est & intelligi, vnde in corporibus, connexorum plurium elementorum aggregatis, motus originem trahat, scilicet ex eorundem consensu; quod alias, si elementa vi motrice exueris, est labor herculeo difficilior.

§. CIII.

Et elementis igitur & quae per ea constituuntur corporibus vis aliqua motrix competit (§. 101. 102.) Eadem autem non est vis elementorum, quae corporum (§. 99.) quamobrem etiam vtrique iidem effectus non sunt assignandi.

Schol. Forsan praeter hanc vim & alia ab elementis constituta locum habet in corporibus, quae nostram fugit cognitionem? Sed aliam, quam motricem in corporibus vim non esse possibilem, in sequentibus hunc in modum demonstrabimus.

§. CIV.

Quum vis sit ratio actionis (§. 29.) ideoque ratio mutandi limites (§. 27. 24.) ex vi corporum nihil sequitur nisi variatio limitum. Quales igitur limites in corporibus sunt impossibiles, talis quoque vis illis repugnat. Proinde eiusmodi tantum vis ab elementis in corporibus potest effici, quae limites iis conuenientes variat. §. CV.

§. CV.

Quia limites sunt affectiones entis mutabiles (§. 22.) nulla vis, nisi quae variat ea, quae in corporibus sunt mutabilia, ab elementis potest proficisci (§. 104.)

§. CVI.

Affectiones entis mutabiles quoad possibilitatem per essentiam determinantur (§. 22.) Consequitur itaque, eiusmodi duntaxat vim per elementa in corporibus esse possibilem, quae eorum essentiae non repugnat. (§. 105.)

§. CVII.

Essentia corporis est certa compositio partium (§. 18. 43. 2.) Per eam nihil determinatur, nisi generatim spatium (§. 8.) extensio (§. 9.) locus cuiusque partis & totius (§. 55.) figura & (§. 9. 10.) magnitudo

§. CVIII.

Locus entis est affectio externa, i. e. quae enti respectu aliorum competit (§. 55.) Externum omne est instabile. Est itaque & locus entis mutabilis. Si locus, etiam spatium est mutabile, est enim aggregatum locorum (§. 8.) Si spatium, etiam extensio & figura mutari queunt (§. 9. 10.)

(§. 9. 10.) mutabilis quoque est magnitudo (§. 10.)

§. CIX.

Nulla dantur in corpore mutabilia nisi locus totius & partium, spatium, extensio, figura & magnitudo; nihil enim praeter ea ex essentia deducas (§. 107. 108.)

Schol. Locus, spatium, figura & magnitudo generatim spectata in corpore sunt necessaria, in indiuiduo contingentia; possibile enim non est, vt corpus existat sine omni loco, spatio, extensione, &c. fieri autem potest, vt alium locum, aliud spatium occupet, aliam induat extensionem & figuram. Proinde extensio, magnitudo, &c. in genere i. e. quoad possibilitatem spectata est attributum corporis, in indiuiduo & quoad existentiam accidens.

§. CX.

Nulla vis in corporibus ab elementorum viribus oriri potest, nisi quae determinat mutationem loci totalis & partialis, spatii, extensionis, figurae & magnitudinis (§. 105. 109.)

§. CXI.

Locus totius & partis, spatium, extensio,

tensio, figura & magnitudo mutantur non nisi per mutationem loci (§. 8. 9. 10. 55.)

§. CXII.

Quum autem mutatio loci sit motus (§. 101. a.) Locus, spatium, extensio, figura & magnitudo duntaxat per motum mutantur (§. 111.) Nulla igitur mutatio nisi motus in corpore est possibilis (§. 109.)

Schol. Qui existentiam corporum in dubium vocant, i. e. Idealistae, negant etiam existentiam motus. Speciosissime autem opponunt sequentia: Si quid mouetur, aut in eo, quo est loco, mouetur, aut non in eo. Sed moueri nequit, in quo est; manet enim in eo, si in eo est, ideoque illum non mutat. Nec etiam, in quo non est; vbi enim aliquid non est, ibi nec agere nec pati quicquam potest. Ergo corpus omnino non mouetur, Hic nihil superest, quam vt cum Leibnizio in Theoria motus abstracti Tom. III. Epist. pag. 418. asseramus, corpus, dum mouetur non esse vnquam in vnico loco, sed in pluribus. Nempe motus est mutatio loci, vbi autem aliquid mutatur, ibi non manet idem, & proinde quocunque momento corpus moueri dicimus, duobus in locis versari supponimus, ita vt corpus in motu constitutum

vel

vel minima temporis parte occupet spatium se ipso maius, & maius, quam quiescens occupat. Scilicet, quatenus vis motrix nondum est efficiens, corpus est in priori loco, quatenus vero efficiens est, eodem momento simul est in loco proximo. Ergo corpus dum mouetur, in instanti duo loca occupat.

§. CXIII.

Quodsi nulla vis in corpore locum habere potest, nisi quae mutet locum totius & partium, spatium, extensionem, figuram & magnitudinem (§. 110.) haec autem omnia tantummodo eueniente motu mutari possunt (§. 112.) nulla vis nisi motrix per elementa in corpore est possibilis.

§. CXIV.

Vires igitur elementares non solum aliquam vim in corporibus constituunt (§. 98.) sed necesse quoque vim motricem in illis efficiunt (§. 113.)

§. CXV.

Cogitare est aliquid repraesentare cum diuersitatibus, ideoque ad cogitandum requiritur attentio, reflexio & comparatio, quae non fiunt per mutationem loci (per princ. Psychолog.) Hinc cogitatio est mu-

mutatio a motu toto coelo diuersa (§. 101. a.)

§. CXVI.

Quum igitur vis cogitandi non sit vis motrix (§. 115.) haec autem in corpore tantum cogitari queat (§. 113.) vires elementares in corporibus vim cogitandi non possunt efficere (§. 98.)

Schol. Quemadmodum idealistae existentiam corporum, sic materialistae existentiam spirituum negant. Omnes, inquiunt, operationes, quae spiritibus tribuuntur, praestari possunt a corpore, quod omnes cogitationum varietates & differentias exacte potest expressas producere. Tanta enim est materiae subtilitas, tam varius eiusdem motus, vt omnes illius effectus determinari nequeant. Alii sunt motus fluidi neruei, si laetaris, alii, si contristaris, alii, si irascaris, alii, si reminiscaris, alii si iudicas, &c. vid. den vertrauten Briefwechsel einiger Freunde von der Natur der Seele. Quod si ita est, non opus est substantia a corporea distincta. Falsissima est consequentia, si gaudio afficeris, oriuntur motus fluidi neruei, oriuntur, si doles, ergo gaudium, laetitia nulli alii subiecto ineſt, quam corpori. Cogitationem omnem non cadere in corpus, quodcunque sit, ille demum in dubium vocare nequit, qui nostram

ſtram de impoſſibilitate cogitantis corporis demonſtrationem perſpicit. At, inquis, corpora ſunt tantum aggregata elementorum ſeu ſubſtantiarum ſimplicium, quae ex ſententia Leibnizii omnes perceptione quamuis obſcura praedita ſunt. Nonne poſſet illa perceptio per plurium elementorum vnionem in cogitationem emergere? Reſp. Perceptio elementorum Leibnizio nihil aliud eſt, quam ſtatus multitudinem repraeſentans in vnitate. Conf. Monadolog. §. 13. 14. Repraeſentationem autem vocat meram elementi ad alia externa & circumſita relationem, quia intellectus infinitus per illam in vnoquoque elemento caetera relata repraeſentare poteſt. Proinde haec elementorum perceptio, meo quidem iudicio, toto coelo differt a perceptionibus animarum ſenſitiuarum obſcuris, quamuis in ſtupore, deliquio aut ſomno conſtitutae ſint; hae enim non ſunt merae ad externa relationes, meri reſpectus, ſed variorum, quae in rebus deprehenduntur, expreſſiones & imaginationes, ſine adperceptione efformatae. Quis vero nudam rei ad alteram relationem dicat rei imaginem? Quapropter elementorum perceptiones non poſſunt abire in adperceptionem & cogitationes, quamuis plurimae ſibi inuicem in conſtituto corpore vniantur. Et hac igitur infracta obiectione, iterum ſtat immota veritas, corpus cogitare non poſſe. Quodſi autem, quicquid format cogitationes, corpus eſſe nequit, vberrime ex hiſce liquet, ani-

mam non esse corpus, quippe quam cogitationes rerum producere in dubitata testatur experientia. Nec Deus, vti Iohann. Lockius statuit, materiae potest vim cogitandi conferre, nisi possibilitates ab ipsius arbitrio pendent. Vid. eius Tract. de intellectu L. IV. C. III. p. 704. 705. ideis, inquit, adficimur materiae & cognitionis, ac fortasse haut manifesto comperiemus vnquam, vtrum ens aliquod pure materiale cogitet nec ne? Nostris enim notionibus haut multo magis alienum est concipere, Deum, si modo voluerit, ideae nostrae materiae cogitandi facultatem addere posse, quam vt aliam isti substantiam adunaret vna cum potentia cogitandi: cum nos prorsus lateat, in quonam cogitatio consistat. Conf. Bilfing. Dilucidat. p. 257. §. 271. Wolf. Metaph. Germ. p. 407. §. 738. Multa argumenta pro eo, quod materia cogitare non possit, consarcinat Abbadie in Tr. de la Verité de la religion chretienne, sed passim satis elumbia, vid. pag. 52. P. 1. seq. Nefanda igitur Lucretium cepit dementia, quum ita scribit de rer. Nat. L. III.

Nec tamen haec simplex nobis natura putanda est;
Tenuis enim quaedam moribundos deserit aura
Mista vapore: vapor porro trahit aera secum,
Nec calor est quisquam, quo non sit mistus & aer, &c.

Sic

Sic mirifice fallunt omnes, qui animam pro igne aut aqua habuerunt. Stoici animam πνεῦμα θερμὸν teste Plutarcho in Placitis Philosoph. L. IV. c. 3. p. 908. iudicabant. Democritus apud Aristotelem L. I. de anima c. 2. T. I. p. 380. πῦρ τι καὶ θερμὸν φησὶν τὴν ψυχήν. Tertullianusde anima c. 5. animam inquit, effingunt Hipparchus & Heraclitus ex igne; Hippon & Thales ex aqua: Empedocles & Critias ex sanguine: Epicurus ex atomis: Critolaus & Peripatetici ex quinta nescio qua substantia. Stoici pene nobiscum spiritum praedicant, sed, vt audiuimus, haut dubie igneum. conf. Cicero de Nat. Deor. L. III. c. 15. T. IV. p. 170. Vti vero hominum, sic quoque brutorum animae, siquidem cogitationes efformant, efformant autem, simplices sunt substantiae. Cum Scholasticis igitur brutorum animas materiales, nec simplices nec compositas, dicere est lapides loqui, sine vallibus montes admittere; anima enim materialis, quae nec simplex nec composita est, est circulus quadratus, ligneum ferrum.

§. CXVII.

Vires omnes limites entis, nisi impediantur, indesinenter mutant (§. 34. 27.) Vis itaque motrix in corporibus, nisi obstet impedimentum, locum perpetuo mutat (§. 101. a.) Dum nempe locum totius aut partium, spatium, extensionem, figuram & magnitudinem innouat. (§. III.)

§. CXVIII.

Vis motrix corporum nec se ipsam impedire potest, nec ab aliis mouendi viribus plenarie prohibetur, quominus motum progeneret; alias enim vis motrix simul determinaret motum & non determinaret (§. 29.) Quum autem vis motrix nullis superata impedimentis in corpore nouos non possit semper motus non producere (§. 117.) perpetuo motu oportet corpora agitari, ita vt continuo mutetur locus, si non totalis, saltim partialis, & alia oriatur extensio ac figura.

§. CXIX.

Quia omne corpus constituitur partibus certo modo dispositis (§. 43. 2.) Corpus existentiam obtinet, si partes certo modo disponuntur. Corpora autem, quae naturali modo existere incipiunt, aliis adhuc constant corpusculis. Quare corpus existentiam obtinet, si alia corpuscula certo modo incipiunt coëxistere.

§. CXX.

Existentiam adipisci, dicitur oriri. Itaque oriuntur corpora naturali modo, si corpuscula aliquo modo componuntur. (§. 119.)

§. CXXI.

Hoc vel illo modo componuntur corpuſcula, ſi hoc vel illo modo inter ſe incipiunt coëxiſtere, ideoque per motum (§. 101. a) Et proinde corpora non niſi facto motu oriuntur (§. 120. Omnium itaque omnino corporum ortus dependet a vi motrice (§. 29.)

§. CXXII.

Corpus exiſtentiam amittit, ſi corpuſculorum ceſſat compoſitio (§. 43. 2. 119.)

§. CXXIII.

Exiſtentia exui eſt interire. Intereunt ergo corpora, ſi corpuſcula, vtpote eorum partes, diſſoluuntur (§. 122.)

§. CXXIV.

Corpuſcula hanc vel illam compoſitionem deſerunt, deſerto priori coëxiſtentiae modo, ideoque facto motu (§. 101. a) Proinde corpora oriuntur aeque ac pereunt per motum (§. 121. 123.) omnis igitur corporum ortus, omnis interitus pendet a vi motrice (§. 29.) Hinc, quicquid noui in hoc vniuerſo materiali accidit

dit, viribus duntaxat motricibus debet originem.

§. CXXV.

Vis rei dicitur vita; viuum, vita praeditum; quod vita caret, mortuum.

Schol. Quotuplex igitur vis est, totuplex quoque vita, totuplex quoque mors.

§. CXXVI.

Elementa aeque ac corpora vi aliqua sunt instructa (§. 53. 98.) Ideo & elementa viuunt & corpora, nec quicquam in hoc vniuerso est emortuum (§. 125.)

Schol. Recte igitur Leibnizius Monadol. §. 72. Nihil, inquit, incultum, nihil sterile nihil mortuum datur in vniuerso, nullum chaos, nulla confusio, nisi quoad apparentiam &c.

§. CXXVII.

Vis corporum originem ducit a viribus elementorum (§. 98.) Hinc vita corporum pendet a vita elementari (§. 125.) Quae si cessare posset, omnia huius vniuersi corpora, perpetua morte torpescerent.

§. CXXVIII.

Vitam corporum ab elementis tantum esse

esse vel exinde constat, quod vnicuique corpori sua vis ita ineſt, vt non possit non ineſſe. Quum enim omnes entis limites per vim eius determinentur (§. 29. 27. 24.) ea quid diuersum est a limitibus, ideoque enti non contingenter sed necessario competit (§. 22.)

§. CXXIX.

Si vis corporum illis ineſt necessario (§. 128.) ab iis, quae in corporibus sunt mutabilia, proficisci nequit. Sed in omni corpore nihil est, nisi elementa & eorum compositio (§. 43 2. 48.) Haec vero est mutabilis, quia locus mutari potest (§. 108.) Ac proinde vis, quae corporibus ineſt, non deduci potest ex eorum compositione. Ergo nec ex figura, nec extensione aut magnitudine oritur (§. 8. 9. 10.)

§. CXXX.

Vita igitur, qua gaudent corpora, non oritur ex compositione partium, nec ex vllo, quod per eam determinatur (§. 125. 129.) Ideoque ab elementis pendeat necesse est (§. 129.)

§. CXXXI.

Licet autem vis corporum ab elemen-

torum viribus dependeat (§. 130.) immediate tamen ab illis ortum non ducit. Vti enim corpora non immediate semper ex elementis constituta esse debent (§. 119. 13.) sic quoque vires, quae corpora a morte vindicant, non immediate efficiuntur ab elementaribus sed corpusculorum, quae per suam vitam inter se connexa vnum corpus constituunt, viribus intermediis.

Schol. Crassa illa, quae sentimus, corpora non immediate pendent ab elementis, sed multiplici mediante compositione minimorum corpusculorum prodeunt. Nempe corpuscula primitiua, quorum partes non sunt corporeae, proxime constituuntur elementis per suam vim connexis, ideoquae suae compositionis, extensionis, figurae rationem proxime repetunt ab elementorum viribus. Wolf. Cosmolog. Lat. §. 229. Elementa igitur in constituendis corporibus primitiuis non comprimuntur ab aliis externis, qualia adesse non possunt, sed suis ipsorum viribus coeunt et coeundo cohaerent. Haec autem corpuscula primitiua vel libere hinc, inde se mouent, vnde oritur materia fluida & interlabens primi ordinis quam maxime subtilissima; vel suis contrariis nisibus sese mutuo coniungunt & ab interlabente primi ordinis materia comprimuntur, sic oriuntur corpo-

corpora deriuatiua. Haec autem rursus vel vago motu feruntur, sic constituunt materiam interlabentem secundi ordinis; vel ab eadem versus se mutuo pressa cohaerent, vnde corpuscula deriuatiua maiora oriuntur, quae variis modis commixta crassa demum corpora, quae sensus nostros incurrunt, nec non organica, perfecte & imperfecte talia, constituunt. Eorum itaque, quae intuemur, corporum compositiones supponunt alia, haec iterum alia atque alia minora corpuscula, donec tandem in subordinata hac resolutione attinguntur corpuscula primitiua, quorum prima proximaque stamina sunt elementa. Vti vero corporum ex elementis coalitio, sic quoque virium in illis motricium ex elementaribus ortus se habet. Non enim illae ex elementaribus proxime nascuntur, sed multis corpusculorum minorum minorumque viribus intermediis. Prima vis corporea motrix est corpusculorum primitiuorum, vnde deinceps materia interlabens subtilissima & corpuscula deriuatiua suas vires recipiunt. Hae porro constituunt vires materiae interlabentis secundi ordinis, corporumque deriuatiuorum maiorum, a quibus denique vires corporum sensibilium deriuandae sunt. Sic vires, quae corpora versus centrum terrae trudunt seu grauitantes a subtili quadam materia interlabente proficisci non dubitat, cu corpus se ipsum non mouere notum est. Idem valet de vi magnetica, electrica & aliis.

§. CXXXII.

§. CXXXII.

Quum omnia mundi corporei phaenomena sint motus (§. 112.) ideoque pendeant a vi corporum motrice (§. 29.) haec autem ab elementaribus non nisi mediantibus minorum subinde corpusculorum viribus proficiscantur (§. 131.) eorum, quae in corporibus eueniunt, rationem non est, quod ab elementis repetamus; possunt enim illis etiam neglectis, materiae viribus inhaerendo comprehendi.

Schol. Scilicet motus omnis pendet ex structura corporum & legibus motuum; haec enim est mechanica Philosophia, vt, phaenomena corporum quoad possibilitatem explicentur per structuram, quoad existentiam per vim motricem. Ideoque quascunque corporum mutationes obseruamus, considerando corpuscula minus minusque composita omnes possunt intelligi, adeo vt pro scopo physico corporibus in elementa resoluendis non opus sit. Corpora artificialia possunt fabrefieri, quamuis in resolutione non progrediamur vsque ad elementa aut ab iis incipiamus; conficimus enim magis composita ex minus compositis & vicissim. Quicquid virium siue salutarium siue lethiferarum Medici in corporibus detegunt, innotescit per obseruationes aut principia physica, nec vn-

vnquam ad vires elementares recurrant oportet; nihil enim obstat, quominus subsistant in propinquis & conspicuis corporum partibus, particulis nempe salinis, sulphureis, terreis, aqueis, aliisque corporibus tenuissimis interfluentibus. conf. Elias Camerarius in Thesibus medico-chirurg. Thes. X. pag. 28.

§. CXXXIII.

Elementa ad vnum omnia a se inuicem discrepant (§. 55.) & quidem per suam vim (§. 58.) Si autem vires elementares diuersae sunt omnes, etiam vires in singulis corporibus motrices a se inuicem distinctae sunt, quippe quae illis constituuntur (§. 114.) Proinde in omni vi motrice datur aliquid necessarium & pendurans, dantur mutabilia. Hinc vis in corpore omni motrix limitata est & gradibus circumscribitur (§. 22. 25.)

§. CXXXIV.

Quum vero limites mutari possint sine ortu entis & interitu (§. 22.) vis motrix corporum potest mutari i. e. augeri aeque ac minui, quamuis nulla vis creetur nec vlla annihiletur (§. 133. 24.)

§. CXXXV.

Quum extra se posita non possint non esse

esse plura, spatium sine pluribus rebus cogitari non potest (§. 8.)

§. CXXXVI.

Spatium sine rebus extra se positis appellatur vacuum. Involuit igitur spatium vacuum repugnantiam (§. 135.)

§. CXXXVII.

Admisso vacuo corpora sphaerica aeque ac plana se tangerent totaliter. Quum enim illa sese totaliter contingant, quibus totis nullum medium interiacet (§. 96.) in vacuo autem nihil existat (§. 136.) duae sphaerae in vacuo constitutae se totaliter contingunt. Nec sufficit, aliquod intermedium possibile esse, possibilis enim non est actualis separatio (§. 4.)

Schol. Vacuum fore spatium videtur, si aliquando Deus omnem materiam intra alicuius dolii parietes contentam tolleret & omne aliud corpus arceret, ne illam intercapedinem subingrediatur. Sed hoc facto illius dolii parietes non possent non esse contigui, quia inter illos nihil interesset; concipi enim non potest, quomodo res vna distet ab altera, ita vt nullum intermedium illas separet. Deus igitur, quamuis omnipotens, non potest vacuum effice-

efficere nisi et impossibilia omnipotentiae subiicias.

§. CXXXVIII.

Quodsi vbiuis existunt entia (§. 136.) Nec vllum corpus inter plura sine loco esse potest (§. 55.) nullum corpus locum suum mutare potest, nisi occupet locum alterius, quod ex illo deturbat. Proinde vis motrix est vis occupandi locum alterius corporis. (§. 101. a.)

Schol. Fortassis vnum corpus cum altero in eodem loco potest existere, ita vt corpus in motu constitutum alterum suo loco non eiiciat. Quaeritur itaque, an detur corporum penetratio? Ponamus vnum corpus ab altero penetrari posse, ita vt vtriusque partes in eodem puncto existant, vnum ab altero vel diuersum manet vel non. Si non diuersum manet, cum altero erit perfecte idem, ideoque vnum. Sin alterum ab altero est distinctum, vnum est extra alterum; illa enim sunt extra se posita, quae a se inuicem differunt. Non existunt itaque in eodem loco. Ergo corpus a corpore penetrari nequit.

§. CXXXIX.

Cum vno corpore caetera vel ita coëxistunt, vt tertium aliquod sit intermedium, vel non. Si hoc, sunt contigua (§. 96.) sin illud, disita. Corpus itaque

que per vim motricem vel corporum contiguorum vel diſſitorum loca occupare nititur (§. 138.)

§. CXL.

Si vnum corpus occuparet locum alterius, per intermedia ab eo ſeparati, ita vt prius horum loca ſucceſſiue non occuparet, nulla eſſet ratio, vnde hic motus comprehendi poſſet (per princ. rat. ſuff.) Ergo nullum corpus poteſt occupare locum alterius diſſiti, niſi prius per omnia intermediorum loca migrauerit (§. 139.)

Schol. Hoc eſt: Nihil fit in corporibus per ſaltum; quemadmodum in genere nihil fit per ſaltum. Saltus nempe eſt vel abſolutus, vel reſpectiuus. Ille obtinet, quum ab extremo venitur ad extremum, non facto per intermedia tranſitu. Quod fit, vbi aliquid accidit ſine ratione ſufficiente, quemadmodum in mundo imaginario, in regno Vtopiae omnia fiunt per ſaltum, quia phaenomenorum nulla eſt ratio. Ergo ſaltus abſolutus eſt, vbicunque aliquid fit ſine ratione ſufficienti. Nihil eſt ſine ratione ſufficiente. Nihil itaque fit per ſaltum abſolutum. Saltus reſpectiuus eſt, ſi mutatio ſolito celerior accidit, qualis eſt poſſibilis. Sic ſaltus fluuii eſt reſpectiuus, quum per cataractas deuoluitur. Saltus abſolutus eſſet

esset motus corporis in locum remotum sine motu intermedio, qui vero est impossibilis. Potest ex hac saltus physici impossibilitate deduci lex illa continuitatis, quam Leibnizius primum inuenit; minime autem ex sola corporum extensione & idea motus geometrica demonstrari potest; hanc enim viam ingressi perueniunt ad conclusiones experientiae non vbique consentaneas. Vnde mirum non est, leges Cartesii, Pardiesii, Malebranchii, Fabri ex geometrica corporum idea deductas huic continuitatis legi nonnunquam repugnare. Leibn. in Theodic. §. 345. seq.

§. CXLI.

Duobus corporibus dissitis intermedia sunt contigua (§. 139.) ideoque nullum corpus potest alterius remoti locum occupare, nisi prius contiguum loco expulerit (§. 140.) Proinde corpus per vim motricem semper conatur loca corporum contiguorum occupare (§. 139.)

§. CXLII.

Si quod corpus in motu constitutum conatur locum alterius contigui occupare, illud dicitur impellere.

Schol. Aliud igitur est conatus corporis occupandi locum corporis contigui, aliud impulsus corpo-

corporis. Omnia corpora per ſuam vim conantur occupare loca corporum contiguorum, non vero omnia impellunt alia, non enim omnia ſunt in motu conſtituta.

§. CXLIII.

Quum igitur omne corpus, ſi mouetur, per ſuam vim motricem verſus aliud moueatur (§. 29.) Nec non huius contingui locum occupare annitatur (§. 141.) vnum corpus alterum impellit per ſuam vim motricem (§. 142.) Ex vi motrice igitur vis impulſiua concipitur, quippe quae ab illa ſeiungi nequeat.

§. CXLIV.

Ex vi motrice nil niſi motus ſequitur (§ 29.) vim autem aliquam deſtruere longe aliud eſt, quam motum producere (§. 101. a.) Ergo, quum nulla vis, niſi motrix, in corpore ſit poſſibilis (§. 113.): impoſſibile eſt, vt vis motrix vnius corporis vim motricem alterius deſtruat.

§. CXLV.

Quodſi vis motrix vnius corporis vim alterius non poteſt annihilare (§. 144.) vis impulſiua autem eſt vis motrix (§. 143.) etiam haec vim alterius corporis non poteſt deſtruere. Quum igitur omne corpus

pus habeat conatum occupandi locum alterius contigui (§. 141.) etiam, si vnum corpus alterum impellit, hoc vicissim conatur locum illius occupare, quod facit impetum (§. 142.)

§. CXLVI.

Conatus corporis occupandi locum alterius, quod illud impellit, audit resistentia. Contrarie igitur sibi inuicem conantur corpus impellens & resistens (§. 142.)

§. CXLVII.

Quum igitur omne corpus annitatur obtinere locum alterius impellentis (§. 145.) omne corpus alteri impellenti resistit (§. 146.)

§. CXLVIII.

Corpori itaque inesse vim resistendi exinde cognoscitur, quod vi motrice est instructum (§. 146. 138.) licet nullum corpus actu resistat, nisi ab alio impellatur (§. 146.)

§. CXLIX.

Rectitudo lineae inter duo puncta, seu linea inter duo puncta recta, qua talis dicitur plaga. Est igitur plaga linea inter duo puncta breuissima.

Schol. Distantiam adpellant longitudinem rectae inter duo puncta lineae, ideoque plaga aeque ac distantia est via breuissima; in illa autem ad rectitudinem, in hac vero ad quantitatem respiciendum est.

§. CL.

Loca possunt concipi vt puncta, ab vno puncto autem ad alterum duci potest linea recta. Hinc inter omnia loca datur aliqua plaga. (§. 149.) ideoque omne corpus respectu alterius versus aliquam plagam existat necesse est (§. 55.)

§. CLI.

Si quod igitur corpus conatur locum alterius occupare, non potest eius conatus versus aliquam plagam non determinatus esse (§. 150.) Ergo vis motrix vniuscuiusque corporis necessario versus aliquam plagam determinata est (§. 138.)

§. CLII.

Si vis motrix versus aliquam plagam determinatur, dicitur illa dirigi. Ergo in vnoquoque corpore vis motrix non potest non directa esse (§. 151.)

§. CLIII.

Quod valet de vi motrice, id quoque de vi impellendi & resistendi verum est (§. 142.

(§. 142. 146. 138.) ac proinde siue corpus alterum impellat, siue impellenti resistat, nunquam non eius conatus versus aliquam plagam dirigitur (§. 152.)

§. CLIV.

Directio vis motricis dicitur eius tendentia. Sua itaque vi motrice tendit omne corpus (§. 152.)

§. CLV.

Quodcunque igitur corpus alterum impellit, quodcunque impellenti resistit, necessario versus aliquam plagam tendit (§. 154. 153.)

Schol. Ex tendentia non semper motus sequitur versus aliquam plagam directus; tendentia enim tantum est determinatio conatus.

§. CLVI.

Si ab hoc puncto ad illud, & ab illo ad hoc ducitur linea recta, oriuntur plagae oppositae (§. 149.) Quum igitur impulsus corporis determinatus sit versus corpus resistens, huius autem resistentia versus alterum impellens (§. 142. 146.) impulsus & resistentia sibi inuicem diriguntur versus plagas oppositas (§. 152.) ideoque corpus resistens & impellens tendunt versus plagas sibi mutuo oppositas (§. 154.)

§. CLVII.

Quoniam fieri nequit, vt vno corpore alterum impellente, hoc non resistat (§. 147.) versus nullam quoque plagam vnum corpus potest alterum impellere, vt hoc non contrarie nitatur (§. 155.) alias enim corpora impellentibus non semper resisterent. Ergo omne corpus resistere potest conatu versus omnes plagas impellenti oppositas determinato (§. 156.)

§. CLVIII.

Per vim motricem nil nisi motus est possibilis (§. 29.) Quum igitur in alio vim aliquam producere non sit motum efficere (§. 101.a): impulsus vnius corporis in aliud huius conatum resistendi nequaquam potest efficere. (§. 142. 146.)

Schol. Resistentiam vnius corporis originem non debere impulsui alterius & hunc in modum facili negotio euincitur: Quicquid resistentiae contradicit, id resistentiam non infert, causam enim resistentiae inter & ipsam resistentiam esse nullam pugnam, nullum conflictum posse, nemo non videt. Omnis autem impulsus contradicit resistentiae, conf. §. 146. impulsus igitur vnius corporis nullam in altero producit resistentiam.

§. CLIX.

Quodsi igitur omne corpus potest resistere versus omnes plagas oppositas (§. 157.) conatus autem resistentiae tum demum non oritur, quando corpus aliud impellit (§. 158.) omne corpus in se spectatum conatum habet versus omnes plagas oppositas determinatum.

§. CLX.

Vis igitur cuiusque corporis directa est versus omnes plagas oppositas (§. 152.) Et ob id nullum corpus sua vi motrice non tendit versus omnes plagas sibi contrarias (§. 154.)

§. CLXI.

Quia tendentia resistentiae nihil aliud est, quam eius determinatio (§. 154. 152.) illa autem coincidit cum vi corporis motrice (§. 146. 138.) tendentia corporum versus omnes plagas oppositas immediate a vi motrice originem trahat necesse est.

§. CLXII.

Impulsus igitur simultaneus corporum externorum versus vnum corpus vndequaque directus non est causa huius tendentiae in omni corpore contrariae (§. 161.)

ortus enim illius non est mutatio loci (§. 154. 152.) ideoque nullus motus (§. 101. a.), ac proinde non potest determinari per vim motricem aliorum corporum (§. 29.) Competit itaque vnicuique corpori in se spectato & per se tendentia contraria.

§. CLXIII.

Testatur quoque experientia, corporibus inesse resistentiam versus plagas oppositas directam non per vim aliorum prementium. Siquod enim corpus nunc versus hanc plagam deinuersus oppositam alterum impellit, hoc vbiuis resistit seu contrarie nititur, quamuis nulla corpora ab altera parte impellentia deprehendas; ideoque tendit corpus versus plagas oppositas per se ipsum sine compressione corporum externorum.

§. CLXIV.

Negligit principium rationis sufficientis, qui corpus sua vi versus vnicam tantum plagam tendere affirmat. Non posset enim non esse ratio, cur versus hanc potius, quam aliam plagam tenderet. Haec autem nec in vi motrice corporis, quae tantum est conatus occupandi locum alterius (§. 138.) nec in ipsa plaga, quae

quae in se spectata cum caeteris est eadem (§. 149.) continetur. Ergo, fieri nequit, vt corpus non tendat versus omnes plagas oppositas (per princ. rat. suffic.)

§. CLXV.

Nec vni corpori plura alia cohaerere possent, nisi illud eodem momento tenderet versus plagas oppositas. Eodem enim modo semper coëxistunt, quae quiescunt (§. 101. a.) quiescunt autem, quae aequali nisu sibi obnituntur versus plagas oppositas. Et proinde, si vni corpori plura alia cohaerent in circuitu, illud vnicuique horum aequaliter obnititur, ideoque non potest versus plagas oppositas non tendere (§. 93.)

§. CLXVI.

Innumera quoque exempla probant tendentiam corporis contrariam. Lapis in aërem proiectus, quia sursum fertur, eodem quoque tendit (§. 154. 152.) & quia grauis est, tendit quoque deorsum, ideoque eodem momento versus plagas oppositas. Piscis flumine aduerso natans simul tendit versus tres plagas, sua nempe grauitate deorsum, premente flumi-

ne retrorsum & suo nisu versus plagam oppositam.

§. CLXVII.

Quidnam sibi velint illi, qui omni corpori simultaneam versus omnes plagas ad extra se & versus omnes plagas ad intra se tendentiam assignant, iam assequimur. Clarum enim est, omne, quod tendit versus omnes plagas oppositas, ad extra se tendere & eodem momento ad intra se. Quum igitur omne corpus in se spectatum tendat versus omnes plagas oppositas (§. 160.) necesse quoque est, vt versus omnes plagas tendat ad extra se, & simul versus omnes plagas ad intra se.

§. CLXVIII.

Quae eadem sunt in quantitate, dicuntur aequalia. Diuersa in quantitate, inaequalia. Maius audit, cuius pars aequalis est alteri toti. Minus, quod totum aequale est alterius parti. Ergo maiora & minora sunt inaequalia & vicissim.

§. CLXIX.

Tendit igitur vis motrix in corporibus inaequaliter, si vna tendentia aequalis est parti alterius oppositae tota (§. 168.) ideo-

ideoque, si vna tendentia respectu partis alterius oppositae nullam habet quantitatem, seu, quod idem est, si vna ex parte nullam oppositam habet.

§. CLXX.

Si vna tendentia ex parte nullam habet oppositam, vis motrix in corpore non tendit versus plagas oppositas. Quum igitur in omni corpore hoc esse nequeat (§. 160.) inaequaliter non tendit vis motrix versus plagas oppositas (§. 169.) consequenter aequalis est in omni corpore tendentia contraria (§. 168.)

§. CLXXI.

Nec quisquam, cuique suam rationem assignans, hoc in dubium vocare potest. Quodsi enim vis motrix inaequaliter tenderet versus plagas oppositas, ea quantitas vnius tendentiae, qua altera maior est non posset non per aliquid determinari (§. 168. per princ. rat. suffic.) in plagis autem, vtpote perfecte iisdem (§. 149.) nequit esse ratio inaequalitatis i. e. diuersitatis (§. 168.) Nec in ipsa vi motrice potest aliquid esse, quo fiat, vt corpus magis conetur locum huius quam illius occupare, quia nihil est nisi conatus cor-

poris locum suum mutandi (§. 101. a.) Ergo, si quod corpus inaequali nisu tenderet versus plagas oppositas, huius inaequalitatis nulla esset ratio sufficiens, quia in iisdem non possunt contineri diuersa (per princ. contradict.)

§. CLXXII.

Quia tendentia nihil aliud est, quam vis motrix, quatenus versus aliquam plagam determinatur (§. 154. 152.) aequalis versus plagas oppositas tendentia, eandem quoque cum vi motrice corporis habet originem. Haec autem constituitur per vires elementares (§. 114.) Ergo & ab illis dependet aequalis in corpore versus plagas oppositas tendentia. Vires igitur elementares sunt, quae corpus quaqua versum trahunt aequaliter.

§. CLXXIII.

Elementis inest vis motrix (§. 101. b.) haec autem in genere sine aliqua tendentia cogitari nequit, ab omni enim loco ad alterum datur aliqua plaga (§. 154.) Nec sine tendentia versus omnes plagas oppositas aequali est possibilis (§. 164. 171.) Quare, cum vires elementares in corpore vim compositam efficiant (§. 98.)

haec

haec conſtituitur per plures vires, quae ad vnam omnes aequaliter verſus plagas oppoſitas tendunt, ideoque & ipſa ſeſe ita habeat neceſſe eſt.

§. CLXXIV.

Quoniam elementa cohaerent, ſi eodem modo ſemper coëxiſtentia vnum efficiunt, i. e. ſi neutrum ab altero dimouetur (§. 93.) hoc autem fit, ſi vnum alteri aequaliter reſiſtit (§. 165.) manifeſtum eſt, quomodo elementa per ſuam vim cohaerere queant (§. 94.) ſcilicet mediante aequali verſus plagas oppoſitas tendentia (§. 173.)

§. CLXXV.

Eadem ſunt, quorum vnum alteri poteſt ſubſtitui, ita vt ſubſtitutio nullam inferat mutationem. Diuerſa, quae non ſunt eadem. Ea igitur, quorum vni aliquid ineſt, quod alteri non, non ſunt eadem, ſed diuerſa. Ergo eadem non ſunt, quorum vnum aliquid determinat, quod alterum non determinat. Hinc ex iisdem ſemper eadem ſequantur, diuerſa ex diuerſis oportet. Eadem in ſpecie ſunt aequalia & ſimilia. Proinde ex aequalitate oriri inaequalitatem, ex ſimilitudi-

tudine dissimilitudinem repugnat, aeque ac ex nihilo venire aliquid.

Schol. Alia identitas est vel philosophica vel vulgaris. Illa est, quam definiuimus. Vulgari autem sensu idem est, quod praecipuos & fundamentales modos, e. g. existentiam essentiae retinet, quamvis modos deriuatiuos ab illa pendentes exuat. At, inquis, eadem male definiuntur per ea, quae sibi inuicem saluis omnibus possunt substitui. Hac enim stante definitione ea, quae sibi mutuo non possunt substitui, non sunt eadem. Sed, quae non sunt plura, eorum vnum non potest alteri substitui; substituere enim est unum ponere in locum alterius. E. Atqui, quae sunt vnum, ea non sunt plura. E. Atqui, quae sunt perfecte eadem, ea sunt vnum, haec est definitio vnitatis. Ergo, quae sunt perfecte eadem, illa non sunt eadem; quod absurdum. Dubium est speciosissimum & prima fronte formidabile. Sed aliquid sibi ipsi substitui, equidem non video, cur involuat repugnantiam, cur sit impossibile. Quodsi autem possibile est, vt aliquid sibi ipsi substituatur, etiam ea, quae non sunt plura, quae sunt vnum, sibi possunt substitui, & eadem esse. Nego itaque propositionem minorem primam. Idem numero est, quod existens quoad modos omnes cum altero saluis omnibus commutari potest. Quod non potest, diuersum numero.

§. CLXXVI.

§. CLXXVI.

Causa est, quod determinat existentiam alterius. Effectus, cuius existentia per alterum determinatur. Eaedem igitur causae eosdem producunt effectus, diuersorum effectuum diuersae debent esse causae (§. 175.)

§. CLXXVII.

Vis motrix est causa motus, hic illius effectus (§. 29. 176.) Ergo eadem vis motrix eumdem motum determinat, & idem motus supponit eamdem vim motricem, diuersus diuersam (§. 176.) Aequalis igitur vis motrix aequalem motum, inaequalis inaequalem producit. (§. 175.)

§. CLXXVIII.

Vis motrix in corpore non potest mutari, nisi mutatis gradibus (§. 24. 25. 133.) Graduum autem, quia sunt limites (§. 25.) existentia non plenarie determinatur per id, quod enti necessario competit (§. 22.) ideoque nec vis eam ita determinat, vt nihil amplius ad determinandum requiratur (§. 128.) Hinc etiam externa in variandis gradibus & proinde in mutanda

vi

vi aliquid conferunt. Sine externis igitur vis motrix non mutatur, sed manet eadem (per princ. rat. suffic.)

§. CLXXIX.

Vis motrix igitur corporis in se spectati eundem semper motum efficit (§. 177. 178.) & proinde omne corpus in motu semel constitutum in eodem semper perseuerat, nisi concurrant causae externae.

Schol. Remotis igitur externis omnibus, corpus motum, quem semel exercet, in infinitum usque continuat. Hinc si quod corpus in vacuo constitutum fingas, nullum motui finem imponit.

§. CLXXX.

Eodem manente motu eaedem quoque eius manent determinationes; motus enim aliter determinatus est diuersus. Ergo omne corpus in se spectatum nonsolum eundem semper motum continuat, sed & easdem eius seruat determinationes (§. 179.)

§. CLXXXI.

Celeritas est determinatio motus ratione spatii & temporis simul. Motus non est possibilis sine pluralitate locorum

rum (§. 101. a.) haec autem efficit ſpatium (§. 8. 55.) ideoque omnis motus fit in ſpatio. Accidit autem & in tempore, quod rebus tribuitur, quatenus ſibi ſuccedunt. Omnis enim mutatio requirit tempus (§. 24.) Ergo & motus in tempore fiat neceſſe eſt (§. 101. a.) Omnis igitur motus non poteſt non determinatus eſſe ratione ſpatii & temporis ſimul, hinc aliquam ſemper habet celeritatem.

Schol. Motus tantummodo determinatus ratione ſpatii vel ratione temporis, nondum celer dici poteſt. Quum enim cognita ſit duntaxat quantitas ſpatii, vel ſolius temporis, nulla adhuc motui aſſignari poteſt celeritas, niſi vtroque & ſpatio & tempore perſpecto. Reſpondet itaque definitio vſui communi. Nec officit, celeritatem tribui cogitationibus animae, quamuis ſpatium in eam prorſus nullum cadat. Quum enim ſpatia aequalia ad inaequalitatem celeritatis nihil conferant, pro nullis haberi poſſunt. Quodſi vero ſpatia aequalia & nulla poſſunt pro ſe inuicem ſubſtitui, illa autem celeritati nihil derogant, etiam vbi nulla ſpatia reperias, licet celeritatem ſtatuere ideoque ſalua definitione cogitationibus tribuere. Contra accelerationem motus ſequens dubium opponi poteſt: Motus acceleratus vel ſtatim ab initio creſcat, vel demum

in

in instanti secundo. Si primo momento accelerationis crescit, ante primum illud momentum celeritatem habuit; incrementum enim omne supponit prius augendum, ideoque celeritas fuit ante celeritatem. Sin in secundo accelerationis instanti crescit, primum non est acceleratum. Motus igitur videtur omnino non crescere. Sed videtur tantum. Motus acceleratus quouis momento crescat oportet. Scilicet in quolibet instanti cogitandum est prius & posterius, si non tempore, natura tamen; vnum enim semper continet rationem alterius.

§. CLXXXII.

Si motus corporis in se spectati eodem modo semper est determinatus (§. 180.) eandem perpetuo seruat directionem (§. 152.) eadem quoque ei manet celeritas (§. 181.) Corpus igitur, nisi concurrant causae externae, non solum in motu semper perseuerat (§. 179.) sed eamdem quoque perpetuo directionem, eamdemque celeritatem continuat.

§. CLXXXIII.

Motus dicitur rectus, si versus eamdem semper plagam determinatus est; sin versus plagas diuersas, audit motus curuus. Motus itaque rectus est, cuius dire-

directio non mutatur, curuus vero, cuius directio mutatur. (§. 152.)

§. CLXXXIV.

Quia omne corpus in se spectatum sui motus directionem non mutat (§. 182.) Motus cuiusque corporis in se spectati rectus est, nullius autem, nisi concurrant causae externae, curuus (§. 183.)

§. CLXXXV.

Si nullum corpus per se suamque vim motum potest interrumpere (§. 179.) nec eius directionem aeque ac celeritatem mutare (§. 182.) nihil autem potest esse sine ratione sufficiente, non solum motus cessantis, sed & mutatae directionis & celeritatis ratio debet esse extra corpus, ideoque cessatio motus, mutatio directionis & celeritatis a causis externis dependeat necesse est (§. 176.)

§. CLXXXVI.

Occasio dicuntur circumstantiae, quae aliqualem agendi rationem continent. Causae occasionales sunt, quae occasionem praebent.

§. CLXXXVII.

Quum igitur omnis motus mutatio a

causis externis seu circumstantiis determinetur (§. 185.) quaeuis autem mutatio sit variatio limitis (§. 24.) qui etiam ab ipso ente suam rationem repetit (§. 31.) causae externae tantum rationem aliqualem mutati motus continent, ideoque manifestum est, causas occasionales esse, quae motum aut omnino interrumpant, aut eius directionem siue celeritatem mutent (§. 186.)

§. CLXXXVIII.

Determinare, vt aliquid non existat, dicitur impedire; & id, quod continet rationem non existentiae, impedimentum. Ratio igitur existentiae & impedimentum sibi contradicunt, ex contradictione autem oritur nihil (per princ. Ontolog.) Hinc omnis ratio, quatenus impeditur, nihil determinat.

§. CLXXXIX.

Quicquid determinat non existentiam rei, illam vel tantumdem determinat, quantum aliud eiusdem existentiam, vel non. Hinc omne impedimentum vel aequale est rationi oppositae vel inaequale (§. 188. 168.) Omnis igitur ratio aequaliter impedita ob plenariam im-

impedimenti contradictionem omnino nihil, inaequaliter impedita, quatenus non impeditur, aliquid progenerat (§. 188.)

§. CXC.

Quia vis motrix eodem momento tendit versus plagas oppositas (§. 160.) illa motum determinat versus hanc plagam, simul vero versus aliam seu non versus hanc plagam (§. 154. 152. 151.) ideoque vim motricem impediunt tendentiae contrariae (§. 188.) Et quum illae sint aequales (§. 170.) vis motrix aequaliter impeditur, quare nullum omnino motum potest producere (§. 189.) & proinde corporis quietem efficit (§. 101. a.)

§. CXCI.

Quum eadem causa eosdem determinet effectus (§. 176.) vis motrix autem in corpore causa sit quietis (§. 190.) eademque semper maneat in corpore in se spectato (§. 178.) omne corpus quietem, in qua semel constitutum est, perpetuo continuat, si nempe in se consideraueris.

Schol. Corpus vnum quodque in motu suo perseuerare vniformi quoad celeritatem & directionem, donec ab alio vel accelleretur vel impediatur, & viciſſim in ſtatu quietis, donec ab

alio moueatur, iam obſeruauit olim Carteſius. Falſo autem eam in ſtatu ſiue motus, ſiue quietis perſeuerantiam ex indifferentia ad motum & quietem conſequi arbitratus eſt. Quomodo enim continuatio alicuius ſtatus eſt possibilis per indifferentiam ad eundem, quum ea nec ponat ſtatum nec excludat? Corpus quidem in motu conſtitutum per indifferentiam ad motum & quietem, illum non interrumpit; attamen per eamdem non ita in motu perſeuerat, vt non niſi per conatum contrarium in quietem redeat. Hinc perſeuerantia corporis in eodem motu & quiete ex indifferentia illa deduci non poteſt. Sequitur autem ex ipſa vi motrice, quae in corpore ſemper eadem eosdem determinat effectus.

§. CXCII.

Quodſi nulla quietis ceſſatio ex ipſa vi motrice poteſt concipi (§. 191.) nullus vero motus ſine ratione ſufficiente eſt poſſibilis, ceſſatio quietis per cauſas externas & occaſionales determinetur neceſſe eſt. (§. 186.)

§. CXCIII.

Quia omne, quod in corpore eſt mutabile, non niſi mediante motu mutari poteſt (§. 112.) & vnumquodque corpus eundem ſemper motum, eandemque quie-

quietem continuat (§. 179. 191.) omne etiam corpus, in quo semel statu constitutum est, in eodem semper perseuerat (§. 22.) Et quaecunque in statu corporis accidit mutatio, a causis externis & occasionalibus repetenda est (§. 187. 192.)

Schol. Qui in explicandis corporum mutationibus versantur, hac ratione nixi, quicquid noui vel motui corporis vel quieti accidit, a causis externis deriuant. E. g. si corpus ex alto centrum terrae petens continuo celeritatem auget, nempe secundum numeros impares, rationem huius phaenomeni corporibus externis inesse statuunt; quia omne corpus in se spectatum non potest eadem, qua coepit, celeritate non pergere. Quapropter fluidum quoddam externum hoc in corpore efficere statuunt.

§. CXCIV.

Id quod motum impedit, dicitur iners. Extensum autem, quatenus est iners, audit materia.

Schol. Non aduersus est hic conceptus definitioni eorum, qui materiam dicunt omne ens, quatenus hoc vel illo modo determinari potest. Materia veteribus erat vel materia in qua, vel materia ex qua, vel materia circa quam. Materia transiens vel permanens, vel compositionis, &c. Si ens certo modo iam determinatum est, dicitur materia in qua.

Quatenus suis determinationibus alterius entis ortui inseruit, dicitur materia ex qua. Quatenus determinationes entis a causa efficiente proficiscuntur, est materia circa quam. Materia transiens est, si quid alteri originem praebendo suas determinationes amittit; permanens autem, si alterius existentiam promouendo suas determinationes non amittit, e. g. aes, ex quo fit statua. Materia compositionis est ens, quod alterius determinationes ingreditur.

§. CXCV.

Vis motrix determinat quietem (§. 190.) & ita motum impedit (§. 188.) Hinc cuiusque corporis vis motrix est etiam iners (§. 194.) ideoque vis inertiae eadem est, quae vis motrix.

§. CXCVI.

Quoduis corpus est extensum (§. 44.) & per suam vim non potest non habere inertiam (§. 195.) Hinc omni quoque corpori sua necessario competit materia (§. 194.)

§. CXCVII.

Quodcunque efficit, vt corpus se ipsum mouere nequeat, id efficit corporis inertiam (§. 194.) Sed aequalis vis motricis

cis versus plagas oppositas tendentia vim motricem, quo minus motum producat, impedit (§. 190.) Ergo inertia corporis proficiscitur ab aequali corporis versus plagas oppositas tendentia.

§. CXCVIII.

Quodsi igitur corpus inertiam aliquando exuit, seque mouere incipit, aequalis cesset versus plagas oppositas tendentia oportet (§. 197.) Quod cum a corpore in se spectato longe alienum sit (§. 161.) eueniente motu causae externae tollunt aequalem versus plagas contrarias tendentiam.

§. CXCIX.

Si vis motrix non amplius tendit aequaliter versus plagas oppositas, illa non amplius impeditur (§. 190.) & ita nulla ratio est, cur motus non existat (§. 188.) ideoque vis motrix vtpote causa motus non potest illum non determinare (§. 177.)

§. CC.

Si tendentiae versus plagas oppositas debent fieri inaequales, vna minor, altera maior fiat necesse est (§. 168.) Ideo

eueniente motu vna tendentia aequalis est parti alterius oppositae (§. 198. 168.)

§. CCI.

Si igitur tendentiae versus plagas oppositas sunt inaequales, vna tantumdem versus aliquam plagam tendit, quantum pars alterius maioris versus plagam oppositam (§. 200.) ideoque pars vnius tendentiae maioris plenarie impeditur a tota altera opposita, scilicet minori, pars vero non impeditur (§. 190.) & proinde vna fortior tendentia ex parte nullum motum, ex parte vero aliquem producit (§. 188.) siquis igitur motus contingit, vis motrix est illa pars vnius tendentiae maioris, quae ab opposita minori non impeditur. Hinc tanta est vis motum producens, quanta est tendentiarum oppositarum inaequalitas.

§. CCII.

Ratio omnis, nisi obstet impedimentum, determinat (per princ. rat. suffic.) Ergo quanta est causa, tantus eius est effectus. Motus igitur aequalis est vi motrici, vtpote suae causae (§. 177.) Ideoque, siquis in corpore motus oritur, tantus ille est, quanta inaequalitas tendentiarum

tiarum in vi motrice sibi inuicem oppositarum (§. 201.)

Schol. Huc referenda est illa lex motus, quam ill. Leibnizius suae Dynamicae praestruxit, scil. effectus plenus semper aequipollet viribus causae integrae seu ad praestandum effectum adhibitis. Haec vero effectus & virium aequipollentia, quae in omni corporum impulsu locum habet, quemadmodum deinceps demonstrabimus, non sequitur ex essentia corporis, eiusque ad motum & quietem indifferentia; hac enim assumta corpus minimum, potest aliud maximum in motum quoad celeritatem suo aequalem redigere, cum corpus quiescens vtpote ad motum indifferens motui non resistat, ideoque nulla sit ratio, cur minori celeritate feratur corpus impulsum maximum, quam impellens minimum. Haec sunt, quibus Leibnizius notionem corporis insufficientem esse, quam Cartesius assumsit, probauit iournal des savans. 1691. pag. 386.

§. CCIII.

Quodcunque est causa motus, id quoque eius efficit determinationes, id producit motus directionem (§. 152.) & proinde directio motus dependet a tendentia fortiori (§. 201.) Qualis igitur haec est, talis quoque illa.

Schol. Si quod corpus fortius tendit versus plagam (a) quam oppositam (b) motus exinde oriens necesse est directus versus plagam (a)

§. CCIV.

Si determinationes motus cum ipso motu vnicae causae debent originem, celeritas motus idem habet principium cum ipso motu (§. 181.) Hic vero oritur a vi motrice magis versus hanc plagam quam oppositam tendenti (§. 199.) Ergo & celeritas ex eadem est deducenda.

§. CCV.

Quum igitur diuersi effectus ab iisdem causis pendere nequeant (§. 176.) alia aeque directio ac alia celeritas mutationem tendentiae fortioris requirit (§. 203. 204.) Quum autem directio non nisi per aliam plagam mutari possit (§. 152.) vis motrix versus aliam plagam quam antea, tendit fortius quam versus oppositam si motus aliter directus oritur. Celeritas autem mutatur, si vel minuitur vel augetur (§. 181.) ideoque, si quod corpus maiori aut minori celeritate mouetur, quam antea, vim motricem magis aut minus, quam antea, tendentia fortiori oppositam vincere asserendum est.

Schol. 1.

Schol. 1. Si motus cuiusdam corporis directus est versus plagam (a) etiam vis motrix magis tendit versus (a) quam plagam oppositam. (b) Si vero dein directus est versus (c) etiam vis motrix nunc magis tendit versus plagam (c) quam oppositam. (d)

Schol. 2. Si motus celeritas aequalis est 6. tantumdem quoque tendentia fortior oppositam vincit. Si vero dein aequipollet 8. tantum quoque augmentum scil. aequale 2. eidem tendentiae accessit. Et proinde celeritas semper est aequalis tendentiarum oppositarum inaequalitati.

§. CCVI.

Si motus corporis, nec non eius directio & celeritas determinantur per tendentiam, altera opposita maiorem (§. 201. 203. 204.); hanc autem producunt causae externae (§. 198.) non solum omne corpus, si mouetur, semper mouetur ab alio, sed & motus directio & celeritas ab alio dependet.

§. CCVII.

Peruentum eo est, vt de modo, quo vnum corpus in altero motum efficiat, solliciti simus. Motus non nisi per inaequalem versus plagas oppositas tendentiam; haec tantum per corpora externa pro-

producitur (§. 198.): ideoque, quo pacto corpus efficiat, vt in altero vis motrix tendat versus plagas oppositas inaequaliter, inquirendum est. Quodsi vero vnum corpus tendentiam alterius versus plagas oppositas inaequalem reddit, vnam aut minorem aut maiorem altera opposita efficit (§. 168.) id quod duplici tantum modo fieri potest. Aut vnam tendentiam in se altera opposita minorem vel maiorem reddit, quam erat ante, ita vt vis motrix reuera versus hanc plagam non amplius tanto vel iam maiori nisu, quam antea, tendat; aut respectiue tantum, ita vt vna tendentia alteri contrariae minus vel magis nunc obnitatur, quam antea, licet vtraque in se maneat aequalis.

Schol. Fortasse exemplum aliquod dictis lucem affundit. Duo trahant laqueum aequalibus, quantis possunt, viribus versus plagas oppositas. Horum neuter cedet alteri, quamdiu vterque tendit aequaliter, fieret enim motus sine ratione. Cedet autem alteri, simulac conatum eius aliquis tertius imminuerit. Imminuet autem illum vel in se, vel respectu conatus contrarii. In se nisum vnius imminuet ei tendines desecando, quo facto eius nisus infringetur, ideoque cessabit aequalis vtriusque versus plagas oppositas tendentia.

dentia. Si quis vero humeris vni quodammodo fuerit obnixus, minor quidem euadet eius conatus, sed tantum in respectu alterius oppositi seu contra nitentis, dum nempe huic non amplius aequaliter obnititur, quia aliquam sui partem ad resistendum tertio impendit. Tum vero non potest motus non oriri, ita vt fortiori, cui non obstat conatus externus, cedat debilior, licet vterque conatu in se aequali polleat.

§. CCVIII.

Quia vis motrix necessario tendit aequaliter versus plagas oppositas omnes (§. 160. 170.): impossibile est, vt vna eius tendentia versus hanc plagam minor aut maior sit altera versus oppositam (§. 168.) Nec vllum corpus vim alterius aut destruere potest aut producere (§. 144. 162.) Ergo corpus vnam tendentiam in vi motrice alterius in se nec minorem nec maiorem altera opposita potest efficere (§. 207.)

§. CCIX.

Quum vero motus in corpore oriri non possit, nisi tendentia versus plagas oppositas inaequalis fiat (§. 198.) corpora externa vnam tendentiam minorem aut maiorem altera opposita efficiant, oportet

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0130
DFG

tet. (§. 198. 168.) sed a vi motrice alienum est, vt in se & reuera minus aut magis versus aliquam plagam tendat, quam versus oppositam (§. 208.) Ergo corpora externa tantum efficiunt, vt vna tendentia alteri contrariae minus aut magis obnitatur quam ante, ita vt neutri in se aliquid accedat aut decedat, seu, quod idem est, corpus externum vnam in vi motrice tendentiam respectu alterius oppositae minorem vel maiorem efficit (§. 207.)

§. CCX.

Corpus vero externum in vi motrice alterius vnam tendentiam respectu oppositae minorem vel maiorem reddere potest, ita vt in se spectata eadem maneat, si efficit, vt huiusuis motrix ex parte sibi obnitatur; quo facto, tendentia, qua ei obnititur, iam ex parte tantum tendentiae eiusdem vis oppositae, ex parte vero tendentiae corporis externi contrariae aduersatur, & proinde non amplius aequalis est in vi motrice versus plagas oppositas tendentia. Vnum vero corpus alteri contrarie conatur, si vnum alteri resistit (§. 146.) Hinc vnum corpus alterum

rum mouet, si efficit, vt ei resistat (§. 199.)

§. CCXI.

Corpus corpori non resistit, nisi hoc illud impellat (§. 148.) Quare, cum nullum corpus alterum mouere queat, nisi hoc ei resistat (§. 210.) consequitur, vt vnum corpus alterum moturum hoc debeat impellere. Hinc, quia omne corpus, si mouetur, semper mouetur ab alio (§. 206.) vniuscuiusque corporis motus pendet ab impulsu corporum externorum.

§. CCXII.

Tendentia fortior in corpore, facto impulsu, est opposita ei, qua corpus alteri impellenti resistit (§. 210.) Hinc eamdem cum conatu illo directionem habet qui resistentiae est oppositus. Ergo tendentia fortior eandem habet directionem cum impulsu corporis (§. 146.)

§. CCXIII.

Quia autem motus post factum impulsum dirigitur secundum tendentiam fortiorem (§. 203.) corpus, simulac ab alio impellitur, sese mouet versus eamdem cum corpore impellente plagam (§. 212.)

§. CCXIV.

§. CCXIV.

Quoniam corpus nunquam resistit, nisi ab alio impellatur (§. 148.) nec vnquam impellitur, ita vt non resistat (§. 147.) Resistentia vnius corporis semper est aequalis impulsui alterius. Si non, resistentia impulsu aut minor est, aut maior (§. 168.) si minor, corpus impellit, nec alterum resistit; si maior, corpus resistit, nec impellitur. Vtrumque locum non habet. Ergo nec resistentia est inaequalis impulsui. Proinde tanta semper est resistentia vnius corporis, quantus est impulsus alterius.

Schol. Idem, ni fallor, innuere voluit Newtonus, quando legem motus stabiliuit: Actioni semper aequalis est reactio. Testatur hoc experientia, quemadmodum patet ex sequenti experimento: suspendantur ex filo duae sphaerulae, altera v. g. marmorea, altera argillacea. Harum vna materia aliquantum molli constans aliquousque sublata relabatur ac impingat in sphaerulam duriorem quiescentem. Quo facto, hanc quidem in motum rediget, ipsa vero per eius resistentiam non nihil comprimetur. Inde sequitur, vnum corpus alterius actioni reagere. Aequalem autem esse actioni reactionem cognoscitur, si hoc experimentum in elasticis instituitur corporibus, quo melius ad men-

mensuram reuocari poterit. Christianus Wolfius in Elem. Mathes. Lat. nonnullas leges speciales in corporibus duris & elasticis ex hac generali deduxit. Caeterum hanc legem non ex sola corporis essentia consequi nemo non videt; quomodo enim ex indifferentia ad motum & quietem concipi potest resistentia? Multo minus, reactionem semper aequipollere actioni, ex ea concipitur.

§. CCXV.

Postquam vnum corpus alterum impulit, vna in hoc impulso tendentia tantum fortior est altera opposita, quantum haec debilior. Haec autem tantum est debilior, quantum corpori impellenti resistit (§. 210.) Qua propter, cum resistentia semper sit aequalis impulsui (§. 214.): tendentia corporis impulsi fortior tanta semper est, quantus est alterius corporis impulsus.

§. CCXVI.

Quum igitur omnis in corpore motus tantus sit, quanta est tendentia fortior in vi motrice (§. 202.) tantus etiam est motus, quanto nisu corpus externum impulit corpus mouendum. (§. 215.)

§. CCXVII.

Non solum motus, sed & eius celeritas semper est aequalis fortiori vis motricis tendentiae (§. 205.) Ac proinde nunquam non tanta est celeritas, qua corpus mouetur, quantus est impulsus alterius (§. 215.)

Schol. E. g. Si cuius corporis vis, qua alterum impellit, adaequat 6. tanta quoque est huius resistentia, tantum quoque praeualet altera huius tendentia, & ob id motus consequens eiusque celeritas non potest 6. non aequipollere. Per experientiam quidem cognoscimus, corpus maximum a minimo, ingenti celeritate moto, exigua tantum celeritate moueri, sed hoc conclusionibus nostris non aduersatur. Vim motricem enim & celeritatem consideramus in genere, sine determinationibus per materiam & extensionem huius, illiusue corporis accedentibus. Sermo non est de vi motrice, quomodo se habeat, respectu extensionis corporum, sed qualis & quanta in se sit, euincimus. Vis alicuius corporis & celeritas pro sua mole potest esse quam maxima, quum in se spectata sit exigua; potest e contrario intuitu extensionis esse minima, quamquam non sit ab extensione seorsim cogitata. Dabimus exemplum. Ponas, extensionem corporis A ad extensionem

nem corporis B relatam, esse sicut 6 ad 24., quo posito, etiam vis motrix corporis A ad vim corporis B relata, erit vt 6. ad 24. maior enim extensio est maius virium elementarium aggregatum, quae cum vim motricem constituant, maiori extenso non potest maior vis motrix non inesse, quam minori. Ponas, corpus A 4. vis suae partibus impellere corpus B, tunc B totidem resistet; erit igitur aequalis impulsus & resistentia, ille non minus quam haec aequipollet 4. gradibus. Ex resistentia autem in corpore B oritur tendentia fortior ei aequalis, quae iterum motus celeritatem sibimet aequalem i. e. 4. gradibus aequipollentem determinat. Oritur itaque motus & celeritas in corpore B tanta, quantus erat impulsus corporis A. Et quia tanta motus portio in corpore A periit, quantum tendentia in eodem fortior per impulsum debilitata est, seu quantus fuit impulsus; consequitur, tantam motus portionem in corpore B oriri, quanta in A periit. Quamuis autem motus & celeritas in vtroque corpore sit aequalis generatim, dici tamen non potest, quod corpus B eadem celeritate cum sua mole feratur, qua mouebatur corpus A; vtrumque enim eamdem quidem portionem vis motricis in genere spectatae, non autem eamdem suae vis portionem ad producendum motum adhibuit, vis efficiens in vtroque corpore A & B aequipollet 4. gradibus, sed in A vis

efficiens est tertia pars vis motricis bis sumta, in B autem sexta pars; huius enim vis tota aequalis est 24. illius 6. Proinde vis efficiens, impulsus, motus & celeritas in corpore A ad eius extensionem & totam vim motricem relata sese habent vt 4. ad 6., vt 2. ad 3. contra resistentia, tendentia fortior, motus & celeritas in corpore B ad totam ipsius extensionem & vim motricem se habent vt 4. ad 24., vt 1. ad 6. Ideoque corpus A pro sua mole celeritate longe maiori se mouet, quam pro sua corpus B; quamuis vtriusque celeritas in se spectata seorsim a magnitudine sit aequalis.

§. CCXVIII.

Quodsi nullus vnquam motus in corpore euenire potest, nisi eum efficiat praeuius alterius impulsus (§. 211.) nullum quoque corpus aliud potest impellere, nisi prius ab alio fuerit impulsum, quod iterum ab alio incitatum sit necesse est (§. 142.) Quare vnusquisque motus naturaliter existens supponit nescio quantam innumerorum corporum seriem, quae per antegressum aliorum impulsum suis sedibus excitata fuerunt.

Schol. Apparet inde, quomodo omnes in vniuerso motus & quaecunque per illos determinantur sibi inuicem perpetuo nexu cohaerent,

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0137
DFG

ant, ita vt quilibet motus longe ante existens in praesentes suum habeat influxum. Si qui enim motus vel minimi olim facti non essent, multi etiam qui nunc fiunt, non euenirent.

§. CCXIX.

Quia motus aeque ac eius celeritas semper aequalis est impulsui alterius corporis (§. 216. 217.) hoc autem non potest prius ab alio, hoc iterum ab alio, & sic porro non impulsum fuisse (§. 218.) tantus est omnis motus tantaque eius celeritas, quantus omnium corporum per longam retro seriem impulsus fuit.

Schol. Contra experientiam hoc esse, noli temere affirmare. Per sensus enim certe cognoscere non licet, quanta motus portio ex altero praeuio oriatur. Motus saepissime in vno corpore collectus & sensibilis facto impulsu alibi ita per minutissimas particulas dispergitur, vt plane insensibilis euadat. Explosio tormento vehementissimum illum motum penitus extingui, quia sequentem ex illo nullum videmus, asserendum non est. Eadem enim motus quantitas, licet per aërem longe lateque dispersa, ex fragore illo nascitur, quae collecta & simul sumta ei aequipollet. Nisi motum omnem determinare alium aequalem verum est, vacillat nexus in mundo corporeo stabilitus, quo omnia ita dicuntur se mutuo

excipere, vt antecedens omne trahat ſuum conſequens.

§. CCXX.

Quia omnis motus oritur per tendentiam fortiorem (§. 201.) vnum corpus per eamdem impulſum facit (§. 142.) Per impulſum autem vtpote conatum corpori reſiſtenti contrarium tendentia fortior reſpectu oppoſitae debilioris minuitur (§. 146.) ita vt hanc minus quam antea vel omnino non ſuperet; quanto enim conatu vis motrix corpori reſiſtenti obnititur, tanto non poteſt tendentiam ſuam contrariam vincere. Quum autem motus ſemper aequipolleat tendentiae fortiori (§. 202.) conſequitur, vt tantum motus in corpore impellente ceſſet, quantum hoc fecit impulſum.

§. CCXXI.

Ac proinde, cum motus, qui in corpore reſiſtente oritur, ſemper aequalis ſit impulſui alterius (§. 216.) manifeſtum eſt, tantam ſemper motus quantitatem in corpore reſiſtente oriri, quanta in impellente periit (§. 220.)

Schol. Si corpus 6. gradus ſuarum virium adhibet ad impellendum alterum, totidem quoque

que gradus ſui motus amittit, quia tantum imminuta eſt tendentia fortior. Quia autem totidem gradus corpus alterum impendit ad reſiſtendum, huius vna tendentia, qua reſiſtit, 6. gradus amittit, quibus antea aequaliter obnitebatur tendentiae oppoſitae, vnde fit, vt haec, ſcil. tendentiae reſiſtenti oppoſita, 6. gradibus illa ſit ſuperior. Hinc, cum tendentiae fortiori motus ſemper ſit aequalis, in corpore reſiſtente non poteſt motus non oriri, qui 6. gradus adaequet. Sic tanta oritur motus portio, quanta periit. Iterum ab obiectionibus petitis ab experientia tuti nobis eſſe videmur. Nam, vti ſupra monitum, ſermo eſt de quantitate vis motricis & motus generatim, non in corporibus diuerſae magnitudinis ſpectata. Quamuis maior ſaepe motus quantitas in corpore impellente pereat, quam in reſiſtente pro ſua extenſione oriatur; eadem tamen motus in ſe conſiderati portio oritur, quae periit.

§. CCXXII.

Ex iis, quae diximus, apparet, nullum motum in natura violentum eſſe. Illud enim violentum eſt, cui vis alicuius repugnat. Sed nullus in hoc vniuerſo motus euenit, qui non poſſit concipi ex vi motrice (§. 199. 201. 210. 211.) Nullum itaque motum in corporibus violentum eſſe, conſequitur.

§. CCXXIII.

Vires corporum motrices conſtituuntur per vires elementares (§. 114.) Elementa quamdiu exiſtunt, ſuis viribus exui non poſſunt; vim enim & conatum agendi amittere eſt priuari exiſtentia (§. 4.) Quodſi igitur nulla elementa oriuntur, nulla intereunt, ſed eadem eorum perpetuo multitudo manet, etiam eadem in vniuerſo virium motricium quantitas ſemper obtinet. Sed elementa nulla, niſi per vim creatricem, oriuntur, intereunt (§. 49.) Ergo eadem virium motricium in vniuerſo corporeo & immutata manet quantitas.

Schol. Confirmant hanc legem etiam argumenta mechanica, quibus & virium aeſtimatio demonſtratur & ex ſpecialibus motuum legibus euincitur. Notandum autem, identitatem virium intelligi de iis, quae naturaliter exiſtunt, non de ſupranaturalibus & miraculoſis. Nec ſermo eſt de viribus horum illorumue corporum, quae maiora, minora ſubinde euadunt, ſed de viribus in vniuerſo mundo corporeo exiſtentibus.

§. CCXXIV. a.

Quia ob impoſſibilitatem ſpatii vacui non poſſunt vbique non eſſe corpora (§. 136.)

136.) nullum corpus nec minimum se Poteſt mouere, niſi locum alterius, & hoc locum tertii, tertium quarti, quartum quinti &c. locum occupet (§. 101. a.) & quia tanta ſemper motus quantitas in vno corpore oritur, quanta in altero periit (§. 221.) nullum vnquam motum in hoc vniuerſo ceſſare, nec vllius quantitatem imminui manifeſtum eſt.

Schol. Hoc, inquis, aperte eſt contra experientiam. Quoties enim corpora motu vehementiſſimo agitata deſidioſam quietem induere videmus, ita vt prioris motus nec vola ſuperſit nec veſtigium? Sed videmus tantum, non intelligimus. Siquidem praeter eum, qui ſenſus incurrit, motus non exiſteret alius, effata noſtra magnopere a veritate recederent. Sed quis eſt, cui hoc in mentem veniat? Equidem eos, quos ſentimus, motus minimam illorum, quibus vniuerſa materia agitatur, motuum partem abſoluere, quin aſſeram non addubitem. Craſſiora duntaxat corpora videmus, palpamus; ſubtilia, ſubtiliora, ſubtiliſſima, innumeris diſtincta varietatibus ſenſus noſtros fugiunt. Fugiunt itaque & eosdem eorum motus. Quare, licet motus in hac vel illa materia craſſa & palpabili ceſſet, tamen non conſequitur, illum abſolute plane interire. Motus enim in craſſo aliquo corpore oculis

noſtris interire viſus infinitis tenuiſſimis materiis excipitur, & in illis longe lateque diffuſus ſenſibus ſe ſubducit omnibus. Fieri autem poteſt, vt collectus iterum craſſiora paulatim corpora immigret & ſenſim euadat ſenſibilis.

§. CCXXIV. b.

Nec nouus vnquam in vniuerſo motus oritur. Siquis enim nouus oriretur motus, ille per praecedentem alium non fuiſſet excitatus. Quoniam vero motus omnis ſupponit impulſum motumque alius corporis antegreſſum (§. 211.) fieri nequit, vt aliquis motus eueniat per alium praecedentem non determinatus (§. 142.) E. motus non oritur nouus.

Schol. Iterum per dictamen experientiae propoſitionis noſtrae veritas non vacillat. Non ille motus ſine praecedente alio nouus oritur, quem hoc modo oriri ſentimus. Vnicuique motui alius, ſi non ſenſibilis, attamen in materiis circumlabentibus tenuiſſimis inſenſibilis ſit praeuius oportet.

§. CCXXV. a.

Quodſi vero nullus aliquando motus, qui ſemel exiſtit, in rerum natura perit (§. 224. a.) nec nouus vnquam, qui in aliis corporibus ante non extiterit, oritur

tur (§. 224. b.) ille autem, qui nunc adest, nec augetur nec imminuitur (§. 221.) eadem perpetuo manet motus in hoc vniuerso quantitas, ita vt non maiori motu nunc agitetur materia vniuersa, quam quo longe ante aut multo post agitatur. Ergo eamdem etiam quietem corpora perpetuo seruant (§. 101. a.)

Schol. Cartesius olim eiusque sectatores, Le Grand, aliique hanc motuum in quantitate identitatem argumento metaphysico, sed satis infirmo superstruxerunt; immutabilitati & constantiae diuinae non conueniens esse arbitrati, si non eadem in hoc vniuerso motus quantitas perseueret. Ponamus, motum antea existentem iam auctum vel imminutum fuisse, Deus tamen totum in hoc vniuerso stabiliendum motum, suumque de eo decretum immutasse dici non potest; posset enim ab aeterno cognouisse, quemadmodum omnia vno obtutu lustrat, fini obtinendo magis respondere, si certo tempore quantitas motus vel crescceret, vel decresceret, ideoque propter immutatam motus quantitatem Deus inconstantiae minime accusari potest. Ipsam Cartesii thesin quibus obiectionibus exceperint Hugenius, Newtonius, Leibnizius & deinceps alii, adeo vt inter mechanicos dudum explosa sit, equidem praeclare noui. Sed eiusmodi argumenta mechanica, Cartesio aduersa,

uersa, nostram non arietant sententiam, quippe qui in tota corporum vniuersitate, nequaquam autem in hac vel illa eius parte eamdem semper motus quantitatem persistere asseramus, cuius contrarium per demonstrationes mechanicas nescio an euinci queat. E. contrario solidissima, quibus illud innitatur, fundamenta subiicimus. Sane, si non eadem maneret quantitas motus in abstracto spectati in vniuersa materia, vel augeretur, vel imminueretur. Augeri nequit; nullus enim oritur motus, nisi per alium praecedentem excitatus, falsa itaque esset regula: quicquid mouetur, mouetur ab alio. Sed nec imminui potest, ita vt aliquis motus intereat. Ponas enim, motum aliquem prorsus cessare, corpus, quod vltimum eo agitatur, locum suum mutat & alterius locum non ingreditur, aut si ingreditur, illud ex eo non deturbat. Vtrumque fieri non potest. Quum enim spatium vacuum impossibile sit, omne corpus, quod locum suum relinquit, non potest alterius locum non occupare; alias enim essent passim spatia nulla corpora capientia. Vnum vero corpus alterius locum ingressum hoc ex eo necessum est propellat, propter ἀνδιϑυπίαν seu corporum impenetrabilitatem, qua fit, vt vnum corpus cum altero in eodem loco existere nequeat. Ergo imminui motum in hoc vniuerso omnem simul sumtum concipi nequit. Sed & augeri non potest.

est. Perseuerat itaque perpetuo eadem motus in vniuerso quantitas. Adde, quod absoluta corporum quies sit impossibilis. Testatur quidem experientia, haec vel illa corpora, quae sensus feriunt, quietem induere; verum enim vero aliud suadet intellectus tam de corporibus sensibus obuiis, quam non obuiis. Motum enim alicuius corporis tum internum in particulis tenuissimis, quae non possunt per motum non cohaerere, tum externum, sensus vero non incurrentem penitus extingui, idem est ac corpus in meram agendi possibilitatem reuersum non existere. Existentia enim est vis seu perpetuus agendi conatus, quo ens suam existentiam comprobare nunquam non annititur. Posita vero absolutae quietis impossibilitate, ponitur quoque motus prorsus intereuntis impossibilitas. Ergo eorum, qui in vniuerso mundo semel obtinent, motuum nullus penitus aboleri i. e. in absolutam quietem desinere potest; motus enim non prorsus extinguitur, qui in respectiuam quietem mutatur. Si vero particularis nullus in Mundo motus penitus cessat, nec omnium in vniuerso motuum complexus h. e. tota quantitas potest imminui. Nonnullae possent formari obiectiones, sed ab iis, qui verba nostra aliter intelligunt, quam intelligi volumus.

§. CCXXV. b.

Si non perpetuo aequalis motus generatim

ratim ſpectatus in hoc vniuerſo manet, vel augetur vel imminuitur (§. 168.) ſi augetur, nouus aliquis motus particularis oritur per praecedentem alium non determinatus, quod fieri non poteſt (§. 224. b.) ſi minuitur, vires motrices motum ante productum non amplius efficiunt, eadem enim virium motricium quantitas perpetuo manet (§. 223.) Non efficiunt autem vel impeditae vel non impeditae. Vim aliquam non agere, quamuis nulla impedimenta obſtent, idem ſonat, ac aliquid eſſe ſine vlla ratione (§. 188.) Si impediuntur vires motrices, quo minus motum producant, impediuntur per vires & conatus contrarios (§. citat.) ideoque per reſiſtentiam (§. 146.) Ergo ſi motus in vniuerſo quantitas decreſceret, h. e. ſi motus aliquis particularis ceſſaret, per reſiſtentiam alterius ceſſaret. Sed hoc fieri nequit; quanta cunque enim motus portio in vno corpore per reſiſtentiam alterius perit, tanta in altero per reſiſtentiam oritur. Vbicunque enim corpus reſiſtit, ibi magis tendit verſus vnam plagam quam verſus alteram (§. 210.) Tendentia fortior eſt vis non impedita (§. 199.) ideoque motum non pot-

potest non producere siue sensibilem siue insensibilem (§. 188.) certe tamen sibi aequalem (§. 202.) Quum igitur, motu in vno corpore per resistentiam cessante, in altero resistente aequalis semper portio eius oriatur, motus aliquis per resistentiam interire non potest. Ergo omnino nullus particularis motus cessare, ideoque nec omnis in vniuerso motus quantitas imminui potest. Sed nec augeri potest. Proinde motus in vniuerso mundo corporeo non in specie sed generatim spectatus eandem perpetuo quantitatem retinet.

Schol. Minime igitur haec ita intelligenda velim, quasi vna alteraue motus species, e. g. motus versus centrum, terrae sonus, &c. nunquam cessaret, aut eamdem semper quantitatem retineret; sermo enim est de motu generatim spectato, quatenus motus est. Multo minus loquimur de hoc vel illo motu indiuiduo, quasi eadem corpora in eodem semper motu, eademque in eadem quiete perseuerent. Eadem motus mensura in toto omnium corporum systemate persistit, quamuis in singulis eius partibus multifariam determinetur & siue augendo siue minuendo varietur. Quemadmodum dicimus in toto aliquo regno determinatam quandam pecuniae summam esse,

Quam-

quamquam nunc optimates, nunc mercatores, nunc plebeii maiorem eius partem obtineant: Per experientiam itaque contrarium euinci non potest; per hanc enim duntaxat haec vel illa corpora motum exuere cognoscitur, in toto autem vniuerso illum imminui per eam non innotescit. Nec, vt supra monui, omnes motus nisi in crassis corporibus euenientes sensibus nostris obuersantur, longe plurimi adeo subtiles sunt, vt sensus omnes effugiant.

§. CCXXVI.

Quum noua corpora non nisi mediante motu oriantur (§. 121.) & per motum intereant (§. 124.) perpetuo autem eadem motus quantitas maneat in hoc vniuerso (§. 225. a. b.) consequitur, aequalem semper esse corporum ortum, aequalem quoque eorum interitum.

§. CCXXVII.

Omnis corporum diuersitas per eorum mutabilia constituitur (§. 23.) ideoque vnum corpus ab altero differt vel propter locum & totius & partium vel spatium, vel figuram, vel magnitudinem (§. 109.) Haec autem omnia existunt per motum (§. 112.) Ergo omnis corporum diuersitas dependet a motu. Nulla sane eo-

eorum esset varietas, si omnium partes omnes juxta se mutuo quiescerent & pari ratione inter se vnirentur. Non aqua frigida tunc distingueretur a glacie, eadem esset crystalli & lactis natura, quoniam ratio nulla esset, cur crystallus admoto corpori obsisteret, lac vero durorum corporum motibus cederet.

§. CCXXVIII.

Quodsi vero omnis omnium corporum diuersitas a motu oritur (§. 227.) huius vero quantitas nec minuitur nec augetur (§. 225. a.) in aprico quoque est, quod nec maior vnquam nec minor corporum in hoc vniuerso varietas, sed perpetuo aequalis existat.

Schol. Quae ad §. 225. monuimus & hic notanda sunt. Nam in toto hoc vniuerso eadem manet varietatis in corporibus quantitas, licet in singulis eius partibus alteretur.

§. CCXXIX.

Quamuis igitur eadem semper mensura motus in hoc vniuerso conseruetur, motus tamen ex vno corpore non transmigrat in aliud. Concipi enim non potest, quomodo motus, vtpote mutatio &

accidens (§. 101. a.) possit extra suum subiectum esse & in aliud transmigrare. Omne autem corpus suum motum per vim sibi propriam motricem tamquam causam efficientem producit (§. 199.) corpora enim externa sunt tantum causae motus occasionales (§. 210. 211. 186.)

CCXXX.

Quum vbique sint corpora, eorumque singulorum partes loca sibi proportionata habeant (§. 136.) difficile videtur conceptu, quomodo se mouere queant (§. 101.) quum nulla corpori inanis capedo, in quam se recipiat, assignari queat. Sed iis, quae adhuc diximus probe intellectis nemo habet, quod motum non sine penetratione corporum fieri existimet. Vbicunque enim corpus mouetur, aliud ex spatio, quod ingreditur, detrudit, hoc quoque aliud deturbat, quod iterum aliud & aliud expellit, vsque ad vltimum, quod in locum a primo relictum eodem temporis momento, quo derelinquitur, ingreditur (§. 224. a.) ita vt motus omnes qui in mundo fiunt, sint aliquo modo circulares.

§. CCXXXI.

§. CCXXXI.

Quum motus sit loci mutatio (§. 101. a.) non potest alius non esse motus corporum, si alio modo inter se coëxistunt (§. 55.) Alio modo igitur mouentur corpora, si hoc, alio, si alio modo inter se coëxistunt. Hinc varia corporum dispositio variat eorum motum.

§. CCXXXII.

Quia locus enti non est necessarius (§. 55.) corpora etiam hoc modo non coexistunt necessario (§. citat.) ideoque & alia eorum dispositio est possibilis. Quum vero per aliam corporum dispositionem alius eorum fiat motus (§. 232.) non repugnat, alio modo corpora moveri; ac proinde, quia id, cuius oppositum etiam est possibile, dicitur contingens, hic motus corporum est contingens.

§. CCXXXIII.

Perfectio cogitari nequit, nisi plura cogites (§. 78. 2.) Plura sunt ea, quae extra se inuicem posita sunt (§. 8.) nulla vero, nisi a se inuicem diuersa, extra se ponuntur (§. citat.) Ergo mundus corporeus non est perfectus, nisi corpora a se inuicem differant.

§. CCXXXIV.

Quum corporum diuersitas a motu eorum pendeat (§. 227.) motum facere ad perfectionem mundi consequitur (§. 233.) Alius igitur corporum in hoc vniuerso motus, quia ex diuersis eadem oriri nequeunt (§. 175.) aliam quoque infert mundi perfectionem.

CAPVT III.

DE

EXISTENTIA DEI.

§. CCXXXV.

Quum motus corporis supponat praeuium alterius impulsum (§. 211.) vel in infinitum vsque vnus motus praecedentem supponit alterum, vel non in infinitum; tertium est impossibile (per princ. contrad.) Si motus in infinitum vsque pendet ab altero, non datur motus, quo alter non sit prior, non datur motus primus. Si autem non existit motus primus, non existit motus, qui rationem caeterorum omnium contineat; cum enim in analysi motuum infinita longam retro seriem emensus fueris, motus ille

ille, quem vltimum attingis, rationem quidem eorum, qui eum consequuntur, omnium aliqualem continet; minime autem motus omnino omnes rationem in eo habent, quia nec ipse est a se, sed ab alio priori, nec alii omnes priores ab eo pendent. Progredere, si placet, vlterius; nunquam ad motum aliquem deuenies, ex quo caeteri omnes intelligi possint; pendent ab eo quidem motus sequentes, non autem antecedentes (antecedunt enim) ideoque non omnes. Perge plus vltra, quousque lubet; nullum motum inuenies nisi talem, qui sequentes duntaxat motus quodammodo, non autem omnes determinat; pendent enim singuli a prioribus, omnes a nullo. Ergo, si motus in infinitum vsque ab alio motu dependet, nulla datur motuum ratio sufficiens.

Schol. Ratio est id quod determinat, h. e. ex quo intelligi potest, cur aliquid sit. Vbi autem, cur aliquid sit, intelligitur, ibi non amplius quaeri potest, cur sit; quaeritur enim de eo, quod nondum intelligitur. Ratio itaque est finis quaestionis. Ergo vbicunque nullus datur finis quaerendi, cur aliquid sit, ibi nulla datur ratio. Quodsi autem motus consequens semper oritur ab antecedente, semper quaeri

de motu potest, cur sit; si enim semper quaeri non posset, sed aliquando in quaerendo subsistendum esset, motus posterior non semper penderet a priori. Hinc nullus quaerendi datur finis, cur motus sit; nulla itaque datur motus ratio. Si quis igitur progressum in analysi motuum dari infinitum sibi persuadet, ille vel inuitus non potest non concedere, nullam esse motus rationem sufficientem.

§. CCXXXVI.

Nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit. Hoc est principium axiomaticum a nemine, nisi omni ratione exuto in dubium vocandum. Si autem nihil est sine ratione sufficiente, nec motus potest esse sine ratione sufficiente. Sed nulla datur motuum ratio sufficiens, si in infinitum vsque vnus ab alio dependet (§. 235.) Ergo, motum in infinitum vsque ortum trahere a praecedente, repugnat. Si autem vnus motus per infinitam seriem non semper praecedentem alterum supponit, non potest primus aliquando non extitisse motus, h. e. quo prior fuit nullus, seu qui per praecedentem alium non est determinatus (§. citat.)

Schol.

Schol. Vberrime & solidissime de hoc principio egit Wolfius in Ontol. lat. pag. 47. §. 70. quae qui accuratius secum perpendit, non amplius de veritate eius dubitabit. conf. Recueil de diuerses pieces entre Newton, &c. T. 1. pag. 147. §. 46. Bilfing. Dilucidat. p. 423. §. 390. Wolf. Metaph. germ. §. 30. Theod. §. 44. pag. 156. vbi ita: Pour mieux entendre ce point, il faut considerer, qu'il y a deux grands principes de nos raisonnemens, l'un le principe de la contradiction, qui porte, que de deux propositions contradictoires l'une est vraye, l'autre fausse; l'autre principe est celui de la raison determinante. C'est que jamais rien n'arrive, sans qu'il y ait une cause, ou du moins une raison à priori, pourquoi cela est existant plûtôt que non existant & pourquoi cela est ainsi plûtôt, que de toute autre façon. Historiam huius principii inuenies apud Wolfium ontol. Lat. §. 71. vbi simul, quomodo haec duo, sine causa & sine ratione nihil fieri, differant, exponitur. Et veteribus principium rationis sufficientis fuisse cognitum testatur Cicero; ita enim ille de fato Libr. sing. p. 1237. suos loquentes facit: *Cum enim concessissent, motum nullum esse sine causa, non concederent, omnia quae fierent, fieri causis antecedentibus, voluntatis enim nostrae non esse causas externas & antecedentes. Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, cum ita dicimus, velle aliquid quempiam aut nolle sine*

causa, ita enim dicimus sine causa; vt dicamus, sine externa, & antecedente caussa, non sine aliqua. Vt cum vas inane dicitur, non ita loquimur vt Physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita, vt verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus: sic cum sine causa animum moueri dicimus, non omnino sine causa dicimus.

§. CCXXXVII.

Coincidit cum hac demonstratione altera a principio rationis sufficientis petita. Omnis mutatio vel habet rationem sufficientem, vel non habet. Nihil est sine ratione sufficiente. Omnis itaque mutatio suam supponit rationem sufficientem. Ratio sufficiens mutationis dicitur vis (§. 29. 27.) Ergo omnis mutatio dependet a vi. Motus est mutatio (§. 101. a.) Hinc motum non proficisci a vi, repugnat. Quocunque igitur posito motum non a vi ortum trahere primum ponitur, illud est absurdum. Sed posita serie motuum infinita, ponitur motum esse sine ratione sufficiente, ideoque a vi non determinari (§. 235.) Ergo motus non in infinitum vsque dependet a motu, sed primum aliquando motum fuisse oportet.

Schol.

Schol. At, inquis, licet motus a primo quodam ortus sit, tamen non dependet solum a vi motrice, concurrunt enim semper aliorum corporum impulsus, ideoque nulla est vis motrix. Sed aliud est ortus motuum, aliud eorum continuatio. Oritur motus non per solam vim motricem sed etiam per externa. Continuatur autem sine concursu aliorum corporum per solam vim motricem.

§. CCXXXVIII.

Si omnes motus in hoc vniuerso a primo quodam dependent (§. 236.) Oritur quaestio, cuinam hic primus motus originem debeat? Resp. Nulla mutatio loci potest esse sine vi locum mutandi (§. 29.) Hinc motus non est possibilis, nisi per vim motricem (§. 101. a.) ideoque primus hic motus non potuit a vi motrice non proficisci. Quod autem ab aliquo dependet, id non statim ab eo solo pendet.

§. CCXXXIX.

Quum nulla vis motrix non aequaliter tendat versus plagas oppositas (§. 170. 171.) & ob id nunquam possit tantum per se motum efficere (§. 190.): etiam primum illum motum non sola vis motrix

potuit progignere. Ergo causa quaedam externa non potuit non concurrere.

§. CCXL.

Primus vero corporum motus non est per antecedentem alium motum determinatus (§. 236.) Hinc, cum nulla mutatio nisi motus in corpore cogitari queat (§. 112.) Vis motrix in producendo primo motu non est a corpore adiuta.

§. CCXLI.

Si ad primum motum producendum praeter vim motricem & causa externa aliquid contulit (§. 239.) haec autem non fuit compositum (§. 240.) primus motus efficiente quodam ente simplici existentiam nactus est.

§. CCXLII.

Quum vero huius vniuersi corpora & alio motu, quam quo nunc agitantur, commoueri queant (§. 232.) ens illud simplex & hunc & alium motum, hanc & aliam motus quantitatem efficere potuisset. Proinde in illo simplici, quod rationem motus continet, non potest etiam aliquid non fuisse, ex quo licet concipere, cur hunc in corporibus efficiendum

dum motum caeteris aliis mouendi modis antepoſuerit (§. 241.)

§. CCLXIII.

Ex iisdem nequeunt venire diuerſa ſed eadem neceſſe ſequuntur (§. 175.) Ergo id, in quo varii corpora mouendi modi inter ſe conueniunt, ratio huius motus prae caeteris producti eſſe nequit. Proinde haec ea, in quibus praeſens corporum motus a reliquis omnibus diuerſus eſt, non eſſe nequeunt. In hoc autem vnus modus mouendi corpora ab alio diſcrepat, quod diuerſam mundi perfectionem efficit. (§. 234.) Hinc perfectio mundi vni motui prae caeteris propria ſimplicem illam cauſam determinauit, vt eum potius quam alium motum produceret, & vnum reliquis omnibus praeferret.

§. CCXLIV.

Quodſi vero primus ille motus conditor eum ob aliquam cum caeteris omnibus diuerſitatem ad exiſtentiam deduxit (§. 243.) non poſſunt omnium, quotquot poſſibiles erant, in corporibus motuum diuerſitates in eo contentae ſeu expreſſae non fuiſſe; alias ob eas vnum reliquis prae-

praeferre, ideoque omnino motum producere non potuisset. Ergo omnes motuum in hoc vniuerso possibilium diuersitates, & quia illas in rebus non animaduertit, nisi res ipsas accurate perspiciens, omnes omnino modos corpora mouendi possibiles ad minutissima vsque repraesentauit (§. 68.) motum vero sine locis & loca sine rebus coëxistentibus cognoscere repugnat (§. 101. a. 55.) Hinc omnia mundi corpora cognita habuit.

§. CCXLV.

Motus vero etiam diuersus esse potest per diuersam vim motricem (§. 29.) quae per aliam suae tendentiae inaequalitatem aliam motus quantitatem efficit (§. 202.) Ideoque, qui omnes, quibus corpora moueri possunt modos perspectos habet, ille etiam vim cuiusque corporis motricem repraesentat. Cui vero vis motrix corporum, ei quoque vires elementares, quae illam constituunt, si nempe per illam motum secuturum accurate cognoscere debet, cognitae sunt (§. 114.) Hinc primum motum qui condidit, omnia mundi elementa repraesentauit (§. 244.) Quorum omnium complexus cum eorum

rum mutationibus, quia constituit mundum (§. 78.) consequitur primi motus auctorem vniuersum mundum cum omnibus eius partibus ad minutissimas vsque perspexisse.

§. CCXLVI.

Non solum ex diuersa vi motrice diuersus oritur motus (§. 245.) sed etiam varia corporum mouendorum coexistentia seu dispositio varium in iis motum efficit (§. 231.) Si quis igitur exacte habet cognitum, quot modis huius vniuersi corpora agitari queant, is quoque omnem, quae possibilis est, eorum dispositionem perspiciat necesse est. Quum igitur omnis omnium corporum possibilis dispositio omnem mundum possibilem constituat (§. 78.) ille, qui primum in hoc vniuerso motum stabiliuit, omnem mundum possibilem sibi repraesentauit (§. 244.) Omnis vero mundus possibilis omnia possibilia complectitur (§. 78.) impossibile enim est, quod in omni mundo fieri nequit. Ergo, qui omnes mundos possibiles repraesentat, ideoque primi in vniuerso motus auctor omnia, quaecunque esse possunt, cognita habet. Causa igitur

igitur primi motus efficiens fuit ens simplex omnia possibilia repraesentans (§. 241.)

§. CCXLVII.

Prima causa motus omnium, quotquot erant possibiles, motuum diuersitates sibi repraesentauit (§. 244.) vnus autem motus ab alio differt ob diuersam, quam infert, mundi perfectionem (§. 234.) ideoque quaenam ex hoc, quaenam ex illo, quaenam denique ex vnoquoque motu corporum totius mundi sequeretur perfectio, nosse debuit. Siquis autem mundi perfectionem cognitam habet, is quomodo partes eius ad vnam omnes inter se mutuo conspirent in constituendo vno, quidue singulae sibi inuicem connexae ad communem finem conferant, perspectum habet (§. 78. 73.) Quumque nexus & consensus nonnisi intellectis rerum variis cognosci possit, quia rebus per ea nexus intercedit, quaecunque in singulis mundi partibus a se inuicem discerni possunt, discernit. Sed varia rei discernere est rem distincte repraesentare. Ergo prima causa motus omnes omnino mundi partes distincte repraesentauit;

tauit; & quia omnes mundos possibiles cum futura cuiusque perfectione perspexit (§. 246. 234.) omnia possibilia, quam distincta fieri potest cognitione repraesentauit (§. 78.)

§. CCXLVIII.

Prima illa motus causa diuersitates omnium, quotquot esse possunt, motuum & ob id omnium mundorum possibilium repraesentauit (§. 244. 246.) sed repraesentare diuersitates & identitates rerum est comparare. Hinc omnes mundos possibiles repraesentatos comparauit. Quaenam vero rerum sint diuersitates & identitates perspici nequit, nisi res simul concipiantur, aliter enim, quibus vnum alteri conueniat, quibusue minus, cognosci nequit. Ergo omnes mundos possibiles simul repraesentauit. Primus itaque motus productus est ab ente simplici (§. 241.) quod omnia possibilia distinctissime & simul repraesentauit (§. 246. 247.)

§. CCXLIX.

Facultas res distincte repraesentandi, dicitur intellectus. Ergo primi motus auctor gaudet intellectu (§. 248.) Ens intel-

intellectu praeditum est spiritus. Ergo, qui primum motum condidit, est spiritus.

Schol. Alii paulo aliter definiunt intellectum, ita vt ab imaginatione & sensibus eum non satis videantur distinguere. Celeb. Buddaeus Philos. pract. S. I. C. II. P. I. §. 7. ita loquitur: *ad intellectum quod attinet, eo res varias nos percipere atque cognoscere constat inter omnes. Quae autem addi solent operationes, iudicandi & ratiocinandi, an intellectui puro, an imaginationi, an vero vtrique, aut separatim, aut coniunctim conueniant, rursus non videtur adeo exploratum esse.* Paulo propius ab hac confusione abesse videtur Thomasius in fundam. I. N. & Gent. L. I. C. I. §. 17. 18. vbi ita: *Igitur intellectus est facultas animae humanae cogitandi in cerebro.* &c. mox: *Actus intellectus sunt cogitationes, quae vel de corporibus cogitant, vel de potentiis; illae sensiones dicuntur, hae intellectus stricte dictus.* Noui etiam, alios definire spiritum per substantiam intellectu & voluntate praeditam. Videtur autem ista definitio abundantia non nihil laborare Voluntas enim sequitur ex intellectu, quippe quae nihil aliud est, quam conatus fruendi bono distincte cognito; conatus autem eo, quod cognouimus, fruendi seu nouas de eo sensationes & perceptiones adquirendi intelligitur ex conatu repraesentandi. Ergo, qui intellectu pollet, ille etiam voluntate praeditus

ditus est. Petenda haec sunt ex Phychologia rationali.

§. CCL.

Quum causa prima motus omnia possibilia distinctissime & simul repraesentet (§. 248.) nec plura, nec pauciora, nec maiori nec minori distinctitate, nec successiue repraesentare potest, & proinde eius repraesentatio nullis limitibus circumscribitur (§. 22.) Ens nullis limitibus circumseptum dicitur infinitum. Hinc primi motus conditor gaudet intellectu infinito (§. 249.)

Schol. Infinitum est ens sine fine; finis est limes. Ergo ens sine limitibus est infinitum. Limites sunt realitates mutabiles, quatenus hinc, illinc deficiunt. Ens igitur infinitum nullas habet realitates mutabiles, nullos earum patitur defectus. Ergo omnia, quaecumque habere potest, habet ita, vt non possit non habere. Infinitum vero est vel mathematicum vel reale. Illud est mere imaginarium & duntaxat modus loquendi, quo aliquid sine fine augeri minuiue posse, ita vt omnem calculum effugiat, significatur. Egregium hoc in cognoscenda veritate vsum praestat, quemadmodum non possunt illi, qui eximiae huius disciplinae gnari sunt, non fateri. Numerus itaque infinitus, siue sit infinite paruus, qui di-

uidendo finitum per numerum infinitum oritur, siue infinite magnus, qui multiplicando finitum per numerum infinitum oritur, reuera non existit, ad veritates autem alias difficillimas inueniendas assumitur, quemadmodum circulum non nisi rectis lineis infinito numero constare fingunt. Quid infinito mathematico opposuerit Thomasius videre est in Cautel. Germ. C. II. §. 33. pag. 250. Nescit autem infinitum mathematicum distinctum esse a physico, illud est fictitium & mere imaginarium, hoc vero reale. Quod ad infinitum reale attinet; illud est vel relatiuum, quod enti intuitu reliquorum omnium tribuitur; vel absolutum, quod enti in se competit. Absolutum est vel principaliter vel analogice dictum, illud est complexus omnium perfectionum in vno ente, qualis est infinitudo Dei, reuera talis. Hoc quidem est complexus omnium perfectionum, sed non nisi vni per plura a se inuicem discernibilia constituto competens.

§. CCLI.

Quodsi vero motus conditor intellectu infinito praeditus est, ipse non potest non esse ens infinitum. Quum enim intellectus determinetur per essentiam (§. 19.) finitum autem non possit continere rationem infiniti (per princip. contrad.) Essentia eius, qui gaudet intellectu infinito

nito, etiam infinita est. Per infinitam vero essentiam ens fit infinitum (§. 18.) Ergo prima causa motus est ens infinitum (§. 250.)

§. CCLII.

Ens nullis limitibus terminatum quicquid habet, per essentiam habet (§. 19.) nulla autem eius affectio quoad meram possibilitatem per essentiam determinatur (§. 22.) Ergo, quicquid ei inesse potest, eius existentia sequitur ex essentia. Et proinde, quiquid enti illimitato competit, existit in eo necessario (§. 18.) Quum igitur ens infinitum existat (§. 251. 239.) necessario existit, ac proinde causa prima motus est ens absolute necessarium (§. 251.) Ens, quod rationem suae existentiae in se ipso continet, dicitur ens a se. Ens infinitum existit per suam essentiam. Ergo prima causa motus est ens a se (§. citat.)

§. CCLIII.

Quum ens infinitum, quicquid habere potest, necessario habeat (§. 252.) nulla in eo dantur mutabilia (§. 24.) Et ob id existentia plurium infinitorum repugnat. Plura enim si existerent entia in-

finita, essent a se mutuo diuersa (§. 8.) Distincta vero esse entia non possunt, nisi in affectionibus mutabilibus & contingentibus (§. 23.) sed nulla mutabilia cadunt in ens a se. Ergo si plura fingas entia infinita, vnum ab altero nec in minimis differre potest, ideoque plura infinita sunt perfecte eadem (§. 175.) Perfecta identitas efficit vnum. Ergo ens infinitum est vnum.

§. CCLIV.

Si tantum vnum ens infinitum cogitari potest (§. 253.) quicquid praeter illud existit, non est necessarium sed contingens; entis enim omnis oppositum vel possibile est vel non possibile, ideoque omne ens vel necessarium est vel contingens. Omne autem contingens rationem suae existentiae non in se ipso continet, alias esset necessarium (§. 252.) ideoque ratio contingentis nec est in alio ente contingente, quippe quod iterum ab alio dependet. Ergo in ente absolute necessario (per princ. rat. suffic.) Quaecunque igitur praeter ens infinitum & absolute necessarium existunt, in eo habent rationem suae existentiae. Causa proinde primi motus est ens simplex, abso-

absolute necessarium, quod rationem omnium, quae praeter ipsum existunt, continet (§. 241. 252.) Quum itaque mundus non sit ens simplex (§. 78. 2.) eius ratio in hoc ente continetur.

§. CCLV.

Ens, quod continet rationem mundi existentis, dicitur Deus.

Schol. Quamuis haec definitio sit relativa, attamen non repugnat regulis logicis. Continere enim rationem mundi est character Dei perpetuus; & futuri enim & praeteriti mundi rationem continet. Scholastici mirifice nonnunquam disputarunt, vtrum Deus definiri posset, nec ne? Alii negabant, quia Deus non haberet aliquem numero a se diuersum, plures enim non sunt Dei, nec ei esset natura cum aliis communis, ideoque in Deum non caderet genus & differentia specifica, quapropter definiri non posset. Alii Deum definiri posse affirmabant, quia Deus conceptu generico ab ipso Christo spiritus dicitur. Huius autem differentiam specificam esse independentiam. Quibus cum igitur hic faciendum? Resp. Deus definiri potest vt indiuiduum metaphysicum, definiri non potest vt indiuiduum logicum. Scilicet indiuiduum metaphysicum est omne id, quod existit citra mentis operationem; logicum, quod in certa rerum creatarum classe existit.

§. CCLVI.

Deus igitur est, qui primum in corporibus motum produxit (§. 254. 255.) Existit causa prima motus (§. 239.) Existit itaque Deus.

Schol. Hinc inane dubium est, quo Diodorus Cronus existentiam motus volebat labefactare apud Sextum Empiricum, scepticismi illud monstrum, Hypotypos. Pyrrhon. pag. 146. sequ. Quodcumque mouetur, aut a se ipso mouetur, aut ab alio. A se ipso nihil mouetur. Si vero ab alio, hoc aliud non potest non in motu esse. De quo iterum quaeritur, vnde motum adquisiuerit & sic infinitum. Primus enim omnium in vniuerso motuum in primo instanti spectatus pendet a vi numinis creatrice, infinite diuersa; hanc autem vt ignorarent gentiles, tanta ignorantiae nebula erant inuoluti.

§. CCLVII.

Posito igitur principio rationis sufficientis, motus non in infinitum vsque a motu dependet (§. 236.) sed primus aliquando fuit a causa externa, eademque simplici productus (§. 239. 241.) Quia porro ratio esse debet, cur hic prae caeteris motus ortus sit (§. 242.) simplex illa primi motus causa repraesentauit omnes motus

motus in hoc vniuerſo poſſibiles (§. 244.) ideoque repraeſentauit hoc vniuerſum (§. 245.) quin & omnia poſſibilia (§. 246.) diſtinctiſſime quidem & ſimul (§. 247. 248.) ergo exiſtit ens infinito intellectu praeditum (§. 249. 250.) & proinde ens infinitum (§. 251.) abſolute neceſſarium & a ſe (§. 252.) Hoc autem ens neceſſarium eſt tantum vnicum (§. 253.) & ob id rationem mundi exiſtentis continet (§. 254.) Ergo exiſtit Deus (§. 255. 256.)

§. CCLVIII.

Quodſi vero motus in hoc vniuerſo auctor Deus eſt, inquirendum, quanam ratione motum primum in corporibus produxerit. Quum autem cauſa prima motus ſit ens ſimplex (§. 241.) hic certe non per impulſum antecedentem exiſtentiam nactus eſt (§. 142.) ideoque longe alio modo, quam quo nunc corpora mouentur, primo corpora mota ſunt (§. 211.) Hinc, quia non ſolum directio motus, verum & eius quantitas cum celeritate, ſi corpora mouenda ab aliis impelluntur, ab hoc impulſu dependent (§. 213. 216. 217.) apparet primi motus quantitatem, directionem atque celeritatem non ab

impulsu aliorum corporum ortum traxisse. Ac proinde cum directio motus aeque ac quantitas nec non eius celeritas a causis externis non possit non proficisci (§. 202. 206.) a Deo haec nec alia directio, quantitas & celeritas motus dependet (§. 256.)

§. CCLIX.

Omne corpus sua vi motrice versus omnes plagas oppositas eodem momento tendit (§. 160. 164.) & quidem versus omnes aequaliter (§. 170. 171.) Hinc etiam corpora primo motu excitanda aequalem habuerunt tendentiam versus plagas contrarias. Quamdiu autem tendentia contraria in corpore est aequalis, vt aliquis illius motus oriatur, fieri nequit (§. 190.) Quare Deus primum motum corporibus impertiturus non potest tendentiam eorum contrariam inaequalem non reddidisse. (§. 256.) Quia aliter nullus omnino motus oriri potuisset (§. 198.) Quum igitur motus directio, quantitas & celeritas a tendentia fortiori pendeant (§. 201. 203. 204.) talem hanc Deus effecit, quales illas esse voluit.

§. CCLX.

§. CCLX.

Elementa igitur si in principio sine motu producta in eo statu aliquamdiu perseueraſſe assumamus, priusquam Deus motum in iis effecit, omnia huius vniuersi corpora mera erant materia ab omni motu longe aliena (§. 194.) & quum a motu trahat originem omnis corporum diuersitas (§. 227.) omnes huius materiae partes nulla a se inuicem diuersitate recedebant. Mixtim igitur & nulla nisi locorum differentia seiuncta prima corpora iacebant, sibique per omnia erant similia. Et quia omnis corporum mutatio est motus (§. 112.) ideoque corpora vitam suam non nisi per motus possunt exserere (§. 125. 29. 27.): rudis ista corporum & indigesta moles nullam plane vitam exhibebat conspicuam, sed profunda morte apparebat torpescere (§. 125.)

§. CCLXI.

Complexus corporum, in quibus nihil praeter informem extensionem est conspicuum, dicitur chaos. Hinc siqua corpora nudam referunt materiam, chaos constituunt, (§. 194.) Ante igitur quam Deum corpora commouisse su-

mas, nil nisi purum chaos in hoc vniuerso erat obuium (§. 260.)

§. CCLXII.

Chaos, simul atque corpora viuere incipiunt, simulac sese mouent, destruitur (§. 261. 125. 101. a.) Ac proinde Deus motum corporibus imprimendo chaos cessare iussit (§. 256.) Quum enim corpora volente Deo moueri inciperent, mutabatur eorum extensio, figura, magnitudo (§. 112.) alia corpora oriebantur (§. 121.) alia interibant (§. 124.) omnium vero vita erat conspicua, nihil mortuum (§. 125.) pulcherrimaque diuersitate alia ab aliis distincta erant (§. 227.)

Schol. Illis, quae in medium attulimus, congruit historia creationis, S. literis tradita: vt huic hypothesi conuenienter explicari possit, vbi tamen quemlibet suo sensu abundare patimur. Narratur enim Deum in principio creasse illa stamina, ex quibus mox oritura erat terra & coelum (ita enim nec aliter fert etymologia vocis תהו) Tertam vero fuisse inanem quandam, vastam ac inconditam molem, ob defectum motuum undique tenebris inuolutam; lux enim oritur per motum, quo deficiente & illa deficit. Deum vero spiritum seu vim Dei in motum redegisse superiora huius aquosae molis

molis (Quia enim nullus motus aderat, corpora dura & fluida a se inuicem non separabantur ac proinde mixtim inter se iacentia molem quamdam efformabant, quae nec fluida erat nec solida, ob maiorem tamen particularum ad fluidi rationem aptarum copiam propius ad fluidam accedebat, vnde dicitur רמיסה) & hoc facto lucem ortam, solida a fluidis separata esse, ita vt aridum conspici posset. Terram vero progeneraſſe omnis generis arbores, frutices & olera, & qui alii motus conditi effectus enumerantur.

§. CCLXIII.

Nemo igitur nisi ineluctabilibus difficultatibus obnoxius opinari potest, in ipso mundo rationem motus corporei quaerendam esse, eiusque elementa motum per se ipsa produxisse, quippe quae aliqua vi motrice instructa sint (§. 101. b.) & per suas vires eandem in corporibus efficiant (§. 102.) Quum enim vis motrix elementorum non possit aequali nisu versus omnes plagas oppositas non tendere, vnde & in corporibus eadem oritur tendentia (§. 173.) impossibile est, vt elementa siue simul sumta siue singulatim spectata aliquem motum possint producere, quia mo-

motus simul versus plagas oppositas directus euenire non potest (§. 190.) Praeterea, vti nulla ratio motus in genere spectati elementis inest; sic quoque ratio cur hunc nec alium motum effecerint, in illis nulla deprehenditur, quae tamen, cum motus sit contingens (§. 232.) adesse debet. Nullius enim momenti est responsio, siquis asserat vim elementarem necessario hunc nec alium motum determinare, quum per vim motricem tam hic, quam alius motus sit possibilis (§. 101. a. 29.) ideoque sine ratione sufficiente necessitas huius motus statuatur.

§. CCLXIV.

Quodsi igitur Deus motum in hoc vniuerso condidit (§. 256.): haut parum nostra interest, vt eum bene noscamus, a caeteris omnibus distinguendum, ne in eundem cum gentilibus aliisque eiusdem farinae errorem incidamus. Distinguitur autem vnum ab altero, per suos characteres, quippe quibus ab altero diuersum est, & proinde operae praetium est inquirere, quinam sint Dei characteres.

Schol. Legitimam quidem Dei notionem gentiles sibi formauerunt, quum eum pro ente omni-

omnibus perfectionibus ornatissimo haberent; sed falso eamdem adplicantes praestantissima quaeque & nobilia pro Deo habuerunt, sicut Aegyptii quodcunque paulo excellentius videbatur & mirabilius, diuinum appellarunt. Alii, quum a maioribus, Deum ens quam maxime elatum esse accepissent, illum physice super omnia euectum arbitrati, Solem & astra pro Deo colebant, vnde apud Chaldaeos influxus astrorum emanasse videtur. Alii ignem tamquam solis effluuium adorabant, alii aliud. Scythas solem adorasse, testantur verba Scythae apud Curt. L. VII. c. 8. §. 12. Idem fecisse Phoenicios scribit Herodianus V. 3. §. 6. p. 227. Sol a iudaeis cultus est honore summo, Ezech. VIII. 16. Conf. Thomae Stanleii Historia Philosoph. Orient. pag. 266. 297. 298. 312. & Frider. Gentzkenii Hist. Philos. p. 18. Expresse Diod. Siculus, vir summa diligentia antiquitates gentium perscrutatus Libr. I. Biblioth. ait: τὰς ἀνθρώπας τὸ παλαιὸν γενομένας ἀναβλέψαντες εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντες καὶ θαυμάσαντες, ὑπολαβεῖν εἶναι θεὰς ἀϊδίας τε καὶ πρώτας, τόντε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τὸν Ὄσιριν, τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι. Conf. Gerh. Ioh. Vossii Lib. de idololatria gentil. Lucem haec magnam foenerari possunt vexato loco Hiob C. XXXI. vers. 26. 27.

CAP.

CAPVT. IV.

DE

ATTRIBVTIS DEI.

§. CCLXV.

Quum Deus sit prima causa motus (§. 256.) haec autem ens simplex non esse nequeat (§. 241.) Deum esse ens simplex sequitur. Quodsi vero Deus simplex, non potest esse ens compositum (§. 2.) & proinde, quicquid est compositum, nequit esse Deus. Mundus igitur non est Deus. (§. 78.)

Schol. Consentit Scriptura sacra, quae licet Deo non expresse simplicitatem tribuat, eumdem tamen dicit esse inuisibilem, quod est attributum entis simplicis. Obscurissimam igitur Dei notionem sibi formauerunt, quicunque ipsum mundum pro Deo habuerunt, quod fecisse veteres suo exemplo testatur Plinius Hist. Nat. Lib. II. c. I. *Mundum & hoc, quod nomine alio coelum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, Numen esse, credi par est, aeternum, immensum, neque genitum, neque interiturum vmquam.* Constat eidem sententiae addictos fuisse Stoicos. Seneca Nat. Quaest. L. I. praef. p. 830. ita differit: *Quid sit Deus, totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat? Faciat quotidie*

tidie aliquid, an semel fecerit; pars mundi sit, an mundus; liceat illi hodieque decernere & ex lege fatorum aliquid derogare, &c. disco. Spinozam mundum pro Deo habuisse, in vulgus notum est. Vid. vita Spinozae a Colero descript. p. 132. Jenichens Histor. Spinozismi Leenhofiani pag. 58. Budd. Thes. de Atheismo & superstitione C. I. §. 26. Quis vero est, qui non penitus reiiciat perditi hominis sententiam? quum, vt alibi saepe, sic & Tract. Polit. C. VI. p. 69. scribit: *quod potentia naturae sit ipsa Dei potentia & virtus, divina autem potentia sit ipsissima Dei essentia.* In eamdem fere sententiam iuit Tolandus, qui & ipsum Mosen secum fecisse statuit in orig. iudaic. pag. 117.

§. CCLXVI.

Prima causa motus est ens infinitum (§. 251.) Quum igitur Deus primum motum produxerit (§. 256.) Deum oportet esse ens infinitum.

§. CCLXVII.

Ens infinitum necessario habet, quicquid habere potest (§. 250. 22.) & proinde, si existere potest, necessario existit, seu est ens absolute necessarium. Quum igitur Deus tamquam ens infinitum (§. 266.)

266.) existat (§. 256.) Deus est ens absolute necessarium.

§. CCLXVIII.

Ens absolute necessarium ita existit, vt eius non existentia per illud ipsum sit impossibilis (§. 267.) necessarium enim est, cuius oppositum est impossibile. Oppositum vero rei impossibile reddere, dicitur determinare rem. Hinc existentia entis absolute necessarii per illud ipsum est determinata. Illud, quod determinat quocunque modo, est ratio. Ergo ens absolute necessarium rationem suae existentiae in se ipso continet, ideoque est ens a se (§. 252.) Deus est ens absolute necessarium (§. 267.) Ergo Deus est ens a se.

§. CCLXIX.

Ens infinitum nullos admittit limites (§. 250.) Quod vero sine omni limitatione est, id nullis mutationibus est obnoxium (§. 24.) Hinc ens infinitum est immutabile. Deus est ens infinitum (§. 266.) Ergo Deus est ens immutabile.

§. CCLXX.

Cuius existentia nec initium habet nec fi-

finem, illud dicitur aeternum. Quum igitur id, cuius non existentia est impossibilis, nec initium nec finem existendi habere possit. Ens absolute necessarium est aeternum (§. 268.) Deus est ens absolute necessarium (§. 267.) Ergo Deus quoque est ens aeternum.

§. CCLXXI.

Metiri dicitur, quantum aliquod pro vno assumere & inuestigare, quoties in altero sit contentum; breuius, est inuenire quantitatem. Est igitur mensurabile, in quo alterum aliquoties est contentum. Vbi autem inueniri nequit, quoties vnum in altero sit contentum, ibi hoc est immensurabile. In existentia sine initio & fine, quoties alia contineatur dici nequit, ideoque, qui est aeternus, eius existentia est immensurabilis (§. 270.) & propterea Dei, quem aeternum diximus (§. citat.) existentia est immensurabilis. Effari igitur nemo potest, quam diu Deus extiterit, aut quousque extiturus sit. Nulla quoque iuuentus, nulla senectus in Deum cadit.

§. CCLXXII.

Ille, quo non est prior, dicitur primus,

& quo non est posterior, vltimus. Si quo vero alter prior est, eius existentia non potest initium, & siquo posterior est alter, finem non cepisse. Quicunque igitur aeternus est, ille primus est & vltimus (§. 270.) Deus est aeternus (§. citat.) Deus itaque est primus & vltimus.

Schol. Metaphorice primum & vltimum potest exprimi per res in sua specie primas & vltimas. Quapropter Deus in S. literis dicitur esse α & ω; quia istae literae in ordine alphabetico graecorum primae sunt & vltimae.

§. CCLXXIII.

Impossibile est plura infinita entia existere, sed vnicum tantum sit necesse est (§. 253.) Deus est ens infinitum (§. 266.) vnicus igitur existit Deus.

Schol. Melioris frugi gentiles, queis de meliore luto finxit praecordia Titan, vnicam duntaxat Deitatem, sed in pluribus obiectis quaerendam videntur statuisse; quum haut dubie nonnullas veritates ex reuelatione haustas a maioribus acceperint. Conceperunt sibi Deum vt ens sanctissimum, clarissimum, benignissimum, potentissimum, &c. Id quod ex nonnullis probabiliter coniicere licet. Quum autem eiusmodi ens quaerentes, illud sensibus obuium nusquam inuenirent, ad ea, quae sen-

sensus incurrebant, animum appulerunt. Solem igitur contemplati, eum animaduerterunt esse lucidissimum, omnia calefacientem, penetrantem & regentem, quare maximam illi cum Deo similitudinem intercedere opinati, solem esse Deum collegerunt. Quum autem in vno ente non omnes characteres Deo tribuendos offenderent, & alia, quibus pro eorum conceptu nonnulla Dei attributa competebant, Deos salutarunt. E. g. si in herbam quamdam saluberrimam incidebant, ei diuini quid inesse arbitrati sunt. Probabile tamen non est, eos sibi persuasisse, illa omnia plures Deitates efficere. Posteri autem, homines inculti, quibus rem concipere non contingebat, hanc sententiam detorquentes, ea, quae collectiue Deum dicebant maiores, distributiue Deos nuncuparunt, quo factum, vt pluralitatis & subordinationis Deorum opinio eos perduaderet. Mirum itaque non est, vel in vilissimis quibusuis suas diuinitates quaesiuisse gentiles; id quod de Aegyptiis testatur Herodotus in Euterpe his verbis: Σέβονται πάντας τὰς ἄιγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ δὲ μᾶλλον τὰς ἀρσενας τῶν θηλέων. Καὶ τράγων οἱ αἰγοπόλοι τιμὰς μείζονας ἔχουσι. Causam commemorat fat turpem Diodorus Siculus L. I. Bibl. p. 78. τὸν δὲ τράγον ἀπεθέωσαν, καθάπερ παρὰ τοῖς ἑλλησι τελεῖσθαι λέγεται τὸν πρίαπον διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον. Τὸ μὲν γὰρ ζῶον

τᾶτο κατωφερέστερον πρὸς τὰς συνουσίας. Τὸ δὲ μόριον τᾶ σώματος τὸ τῆς γενέσεως αἴτιον τιμᾶσθαι προσηκόντως κ. τ. λ.

§. CCLXXIV.

Cui aliquid ineſt, quod ſui rationem habet in altero, illud dicitur dependens. Quod igitur omnia, quaecunque habet, per ſe ipſum habet, illud eſt independens. Hinc ens a ſe, quia ſui ipſius rationem continet (§. 252.) eſt ens independens. Quare, cum Deus ſit ens a ſe (§. 268.) idem quoque eſt independens.

Schol. 1. Dependentia eſt vel ſubiectiua, ſi ratio limitum eſt in ſubiecto limitato, vti cogitatio ab anima pendet; vel cauſalis, ſi ratio vnius eſt in alterius actione, ſicut ratio fructus eſt in vi arboris plaſtica. Independens ſecundum quid eſt, quod in certis rebus ſui rationem non habet, qualis eſt independentia ſupremi magiſtratus. Simpliciter independens eſt, quod nullis in rebus aliis ſui rationem habet, vti Deus. Harum ope diſtinctionum omnibus, quae hic formari poſſunt obiectionibus, facillime occurritur. Independentiam Dei egregie in Lucem poſitam ſiquis deſiderat, adeat per elegantem Librum Celeb. Canzii de Ciuitate Dei.

Schol. 2.

Schol. 2. Anima in repraesentationibus dependet a situ corporis organici. Animam igitur esse Deum repugnat.

§. CCLXXV.

Ea, quae mere possibilia sunt, ad existentiam deducere est creare.

Schol. Nemo quidem nostrum creationem, h.e. transitum ex nihilo ad realitatem, sibi potest concipere; si quis enim conciperet, illum oporteret vi creandi instructum esse. Conf. Wolf. Metaphys. §. 1053. Adde quod nullae rerum in nobis oriantur ideae, nisi eas per sensum externum aut internum & ex illis abstrahendo formemus. Nullum vero creationis exemplum potest sensui & interno & externo obuium esse, ideoque nec abstrahendo nec combinando notiones ideam creationis intuitiuam nanciscimur possumus. Nihil autem veritati creationis hoc officit; quod enim nobis duntaxat est inconceptibile, id in se non est inconceptibile.

§. CCLXXVI.

Mundus rationem suae existentiae habet in ente absolute necessario (§. 254.) & proinde in Deo (§. 267.) Mundum itaque antea mere possibilem Deus ad existentiam deduxit. Ergo Deus mundum creauit (§. 275.)

Schol. Ratio mundi sufficiens est vel in existentia, vel in quadam actione Dei. Non illud; mundus enim esset necessarius. Ergo hoc. Absurda igitur est sententia eorum, qui mundum ex Dei οὐσία emanasse opinantur. Errant vero hunc errorem mystici Platonicos secuti.

§. CCLXXVII.

Vis mere possibili existentiam impertiendi dicitur potentia. Quum igitur Deus mundum creauerit (§. 276.) per suam vim possibile ad existentiam deduxit (§. 275.) & ob id potentia instructus est.

§. CCLXXVIII.

Vis omnia, quaecunque sunt possibilia, ad existentiam deducendi est omnipotentia.

Schol. Quodsi, inquis, ille, qui omnipotentia instructus est, omnia, quaecunque sunt possibilia, potest producere; Deus improbos aeterna potest mactare felicitate, pios autem & innocentes saeuissimis poenis adficere, vtrumque enim est possibile. Resp. Omnipotentia in se & seorsim spectata, quia omne possibile potest efficere, pios damnare, impios in coelestes sedes euehere potest. Non autem in Deo seorsim existit omnipotentia, sed caetera eius attributa, summam sapientiam, bonitatem & iustitiam, habet coniuncta; quibus vt

vllo

vllo modo repugnet omnipotentia quam maxime impossibile est; Deus enim est ens perfectissimum, in quo nullus perfectionum conflictus cogitari potest. Per haec autem attributa fieri non potest, vt Deus per suam omnipotentiam innocentes aeternis poenis addicat. Ergo, quamuis Deus sit omnipotens, damnare pios, impios beare illum repugnat. Quaestio igitur, quae a Twisso fuit disputata, vtrum Deus creaturam innocentem aeternis cruciatibus adficere possit, merito negatur.

§. CCLXXIX.

Quaecunque praeter ens absolute necessarium existere possunt, in eo habent rationem suae existentiae (§. 254.) Hinc, quicquid est possibile, si existit, a Deo existentiam impetrauit (§. 267.) competit itaque Deo vis omnia possibilia producendi, & proinde omnipotentia (§. 278.)

Schol. Licet igitur Deus sit omnipotens, attamen impossibilia non reddere possibilia, multo minus illis existentiam largiri potest.

§. CCLXXX.

Quia Deus hunc mundum creauit (§. 276.) eius existentis rationem continet (§. 275.) ideoque mundus a Deo dependet (§. 274.) Et quum nihil praeter De-

um possit existere, nisi in hoc sit illius ratio (§. 279.) quicquid vnquam potest existere, dependet a Deo independenti (§. 274.)

§. CCLXXXI.

Quod nullam plane suae existentiae rationem continet, id nec continuatae existentiae rationem continet. Quapropter, cum omne, quod praeter Deum existere potest, in illo suae existentiae rationem habeat necesse sit (§. 279.) quicquid est possibile, si existit, per Deum in existendo pergit; & proinde etiam mundus suam existentiam per Deum continuat (§. 276.)

§. CCLXXXII.

Actus Dei, quo mundi existentiam continuat, dicitur conseruatio. Nihil aliud proinde est conseruatio, quam iterata per singula momenta creatio (§. 275.)

Schol. Recepta est inter Theologos aeque ac Philosophos loquutio, conseruationem esse continuam creationem, h. e. continuationem actionis diuinae, qua rei, quae a se nihil esset, confertur realitas existentiae. Variis modis conseruationem Dei nonnulli probatum iuerunt. Quae Suarezius & Thomas hanc in rem disseruerunt, v. g. quod effectus, qui non

non est natus recipere impressionem agentis secundum eamdem rationem, secundum quam est in agente, ab ea dependeat, non solum in fieri, sed etiam in esse permanenti & continuo: & alia eiusdem farinae argumenta, videntur paulo intricatiora. Pulchre necessitatem conseruationis & indigentiam creatorum exponit B. Schetzerus in syst. Loc. VI. §. XI. pag. 132. per sigillum aquae impressum, quae simulac cessat actio imprimentis, formam impressam exuit. Thomas explicuit per lucem in aëre a sole proficiscentem, quae euanescit, quamprimum solis actio desinit. Differunt haec similia in eo duntaxat a conseruatione diuina, quod eiusmodi phaenomena tantum sint limitationes & modificationes substantiarum, conseruatio autem Dei ipsas sustentet substantias.

§. CCLXXXIII.

Deus mundi existentiam continuat (§. 281.) Ergo Deus mundum conseruat (§ 282.) Quin etiam omne, quod esse potest, a Deo conseruandum est (§. 281.)

§. CCLXXXIV.

Praesentia alicui tribuitur, si in sua coëxistentia habet relationem ad alterum. Duplex vero ista est relatio: vel vnum per suum locum determinat locum alterius

rius, vel vnum agit in alterum. Illa dicitur praesentia localis, haec virtualis. Quae abit in omni praesentiam, siquid agit in omnia, quae existunt. Non potest quicquam agere in omnia, nisi his omnibus aliquid insit, quod per illud determinetur (§. 27.) ideoque nisi haec omnia ab eo dependeant (§. 274.) Dependent autem omnia a nullo nisi independenti seu Deo (§. 280.) Et proinde nulli nisi Deo potest omni praesentia tribui.

Schol. Praesentia veteribus fuit adessentia rei in aliquo vbi, vbi autem adessentia entis in vbi. Weiff. Metaphys. Cap. VII. pag. 109. Idem igitur definiuerunt per idem. Alia est, ni fallor, nostra definitio. Nam praesens esse est adesse, adesse est ad existere. Existere nihil aliud est, quam conatu agendi instructum esse. Ad existere igitur conatum suum ad alterum, vt ita dicam, exercere, seu conatum in relatione ad alterum efficientem reddere, h. e. agere in alterum. Proinde vnum praesens est alteri, si vnum in alterum agit. Hinc actio in distans inuoluit repugnantiam, quia repugnat aliquid agere, vbi absens est, i. e. vbi non agit. Apparet etiam, quid de praesentia animae, qua corpori praesto est, sentiendum sit; & vtrum anima a corpore multis paralangis remota & tamen

ei praesens esse queat. Explicari hic posset, quid sit praesentia mystica, sacramentalis, glorioſa, & alia; nisi falcem in alienam messem immitteremus. Patet autem ex antecedaneis, quod non sine ratione definitionem mutemus. Caeterum dubia, quae hinc illinc opponuntur, facile diluenda praetermittimus.

§. CCLXXXV

Quorum vnum alterum conseruat, in eorum vno aliquid fit, cuius ratio est in altero (§. 282.) eorum vnum agit in alterum (§. 27.) ideoque alteri praesens est (§. 284.) Quodcunque itaque omnia conseruat, illud est omni praesens (§. citat.) Deus autem est, qui conseruat omnia (§. 283.) Hinc Deus est omnipraesens.

Schol. Extensiue igitur & localiter non est intelligendum, quando Deus sacris litteris omnia in omnibus replere dicitur. Id quod etiam de facie Dei notandum. Scilicet facies est ea pars corporis, quam plurimis plerumque rebus obuertimus; cui etiam etymologia vocis Hebraicae respondet. Vnde pars rei anterior & superficies lingua sancta facies dicitur, quippe quam aliis rebus obuertit. Quicquid autem alteri obuertitur, ei est & localiter & virtualiter praesens. Ideoque facies nonnunquam indicat praesentiam rei & localem

calem & virtualem. Quum vero Deus per locum nequeat esse omnibus praesens, facies Dei significat eius praesentiam virtualem; quapropter facies, praesentia & operatio Dei sunt synonyma. Praesentia Dei est vbique, ergo & facies Dei; vnde Psalmista: Quorsum, inquit, fugiam a facie tua? Siue coelum, siue infernum petam, siue ad extremum mare aquolem, mihi semper praesens es, atque vi & potentia tua me adprehendis. Videtur quidem repugnare, quando Deus ipse Cainum a facie sua abire iubet, quando Ionas se a facie Dei fugisse dicit, quando denique aliquid ad faciem Dei dicitur accedere; sed distinguendum inter faciem Dei vniuersalem & specialem; illa est vbiuis, nec eam licet aufugere; specialiter vero Deus praesens est, vbi immediate & miraculoso modo operatur.

§. CCLXXXVI.

Laborant igitur falsis notionibus, qui Deum aut omni praesentem aut extra mundanum non esse autumant. Scilicet vnum extra alterum esse dicitur, si ab eo est diuersum (§. 8.) Deus autem non est mundus (§. 265.) sed ab illo tanquam composito per suam simplicitatem longe diuersissimus; quare consequitur, Deum esse extra mundum, ita vt quicquam ma-

magis extra illum esse nequeat. Ideoque Deum extra mundum esse, non tollit eius omnipraesentiam.

Schol. Deum igitur esse ens extramundanum, minime ita explicandum est, ac si aliquem extra mundum locum occupet. Eo spectasse videtur Lucretius de rer. Nat. L. V. p. 595. Illud item non est, vt possis credere sedes Esse Deum sanctas in mundi partibus vllis.

§. CCLXXXVII.

Quum Deus motus in vniuerso auctor sit (§. 256.) hic vero intellectu infinito polleat (§. 251.) Deus quoque gaudet intellectu infinito.

§. CCLXXXVIII.

Deus motum in corporibus produxit (§. 256.) Ergo Deus est spiritus (§. 249.) quia vero intellectus eius est infinitus (§. 287.) Deus est spiritus infinitus (§. 249.)

§. CCLXXXIX.

Quaecunque enti infinito inesse possunt, ea omnia illi actu insunt (§. 252.) ideoque nulla in illud cadit mera facultas (§. 28.) Ergo nec intellectus Dei dici potest facultas (§. 287.) Quodsi vero facultas non est intellectus Dei, certe est

actus

actus & proinde distinctissima & simultanea omnium possibilium repraesentatio (§. 248. 256.)

Schol. Innarrabilem Dei cognitionem sibi quodammodo concepturus adeat Wolfium in den Absichten der natürlichen Dinge p. 16. §. 13. je mehr Dinge in einer Welt angetroffen werden, und je mehr sich Veränderungen darinnen zeigen, je einen grössern Begriff erhalten wir von der Erkenntniß GOttes, weil GOtt die gantze Welt bis in den kleinsten Theilen erkennet. Weil nun so wohl der Raum ins kleine als ins grosse unendlich erfüllet, auch die Zeit sich immer mehr so subtil als die Materie theilen läßt: so wird dadurch die Welt ein Spiegel der unendlichen Erkenntniß GOttes, und fängt man durch dessen Betrachtung an, die Unendlichkeit seiner Erkenntniß zu schmecken. Es wird aber der Begriff noch viel klärer, wenn wir bedencken, daß mehr als eine Welt, ja, daß unzählige Welten möglich sind, die GOtt insgesamt in völliger Deutlichkeit begreift.

§. CCXC.

Quia intellectus Dei omnia simul repraesentat (§. 289.) nihil mediate, nihil symbolice, hinc omnia intuitiue repraesen-

sentat. Omnem igitur cognitionem nostram symbolicam non symbolice sed intuitiue repraesentat. Quin etiam, cum omnia distinctissime repraesentet, (§. citat.) omnes quoque animae nostrae repraesentationes, quarum tamquam maxime obscurarum ipsi non sumus conscii, h. e. animae nostrae abyssum summa distinctitate cognoscit.

Schol. Si quid per se est obscurum, id a Deo distincte cognosci nequit. Repugnantiam autem inuoluit, aliquid per se obscurum esse. Quaecunque enim plura sunt, ea sunt a se inuicem diuersa, ideoque iis aliquid inest, per quod a se inuicem discerni possunt. Quae autem a se mutuo distingui possunt, ea non sunt per se obscura; Quamuis igitur repraesentationes animae nostrae maxime obscurae videantur, in se tamen minime tales sunt, ac proinde a Deo distinctissime repraesentantur. Hoc est: Deus maximas animae nostrae tenebras sistit coram facie sua lucidissimas.

§. CCXCI.

Quodcunque nullis limitibus terminatur, id omnes realitates possibiles simul habet (§. 22.) & propterea dici non potest, quoties aliud contineat; finita enim, quaecunque numerare licet, infinito enti non

non ſunt aequalia. Ergo ens illimitatum eſt immenſurabile (§. 271.) Quod cum ſit infinitum (§. 250.) omne infinitum menſurari nequit. Intellectus Dei eſt infinitus (§. 287.) Eſt itaque immenſurabilis.

Schol. Proinde facile intelligitur, quid ſit תבונתו אין מספר h. e intelligentia eius eſt ſine numero; intellectus enim finiti, quibus illam emetiri liceat, numerari nequeunt.

§. CCXCII.

Comprehendere eſt aliquid diſtincte & plenarie repraeſentare. Siquis itaque intellectum Dei comprehendit, is ſibi repraeſentat diſtinctiſſimam & ſimultaneam omnium poſſibilium repraeſentationem (§. 289.) ſeu, quod idem eſt, diſtinctiſſime & ſimul omnia poſſibilia repraeſentat. Hoc vero eſt intellectus infiniti (§. 250.) ideoque non niſi in ens infinitum cadit (§. 251.) Ergo nemo niſi Deus ſuum intellectum comprehendit (§. 266.) Ergo intellectus Dei finitis omnibus eſt incomprehenſibilis.

Schol. Iterum Philoſophiae congruit reuelatio, quae Deum in luce inacceſſa habitare dicit; idem enim eſt, ac intellectum Dei eſſe incomprehenſibilem. Bene igitur Dio Caſſius de iudaeis memoriae prodidit, credere eos Numen

men inuisibile, ineffabile L. XXXVI. de bello iudaico pag. 37. Ὅτι μὲν ἄλλων θεῶν οὐδένα τιμῶσι, ἕνα δὲ τινὰ ἰσχυρῶς σέβεσι οὐδ' ἄγαλμα οὐδὲν ἐν αὐτοῖς πότε τοῖς ἱεροσολύμοις ἔχον, ἄῤῥητον δὲ δὴ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι, περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι.

§. CCXCIII.

Quo plura in constituendo vno consentiunt, eo maior est perfectio (§. 78.) Illud igitur est perfectissimum, in quo constituendo omnes, quot consentire possunt, realitates consentiunt. Hinc quicquid est distinctissima & simultanea omnium possibilium repraesentatio, illud est intellectus perfectissimus (§. 249.) Ergo intellectus Dei est perfectissimus, ita vt perfectior cogitari nequeat (§. 289.)

§. CCXCIV.

Purum dicitur, cui non admixtum est heterogeneum seu entia alterius speciei. Intellectus igitur purus est, qui nihil confuse, nihil obscure repraesentat; cognitio enim confusa & obscura ei est heterogenea (§. 249.)

Schol. Ill. Bilfingerus in dilucid. p. 260. §. 274. *Purus*, inquit, *est intellectus, cui definitio competit simpliciter*, h. e. qui ideas habet non ni-

si distinctas, quarum se. & partes & partium partes distinctae sunt, h. e. qui ideas habet adaequatas. Wolf. Ontol. Lat. p. 228. §. 313. *Intellectus purus dicitur, si notioni rei, quam habet, nihil confusi admiscetur, nihil obscuri. Non purus dicitur, si notioni rei insunt, quae confuse aut prorsus obscure percipiuntur.*

§. CCXCV.

Intellectus Dei omnia distinctissime repraesentat (§. 289.) ideoque nulla in eo est cognitio obscura, nulla confusa. Ergo intellectus Dei est purissimus (§. 294.)

§. CCXCVI.

Lumen dicitur ille status mundi corporei, quo obiecta visus a se inuicem discerni possunt; & propterea metaphorice sumitur pro statu spiritus, quo varia cum suis diuersitatibus repraesentat, seu a se mutuo distinguit. conf. Wolf. Log. german. von den Gebrauch der Wörter §. 16. p. 67. & Metaph. germ. §. 200. p. 111. Intellectui igitur potest lumen tribui (§. 249.) Quemadmodum tenebris inuolutus esse dicitur, qui obiecta a se invicem non distinguit; quia tenebris in mundo corporeo omnia immergi dicuntur, si corporum

porum diuersitates non animaduerti queunt.

§. CCXCVII.

Quo magis distincte intellectus obiecta repraesentat, eo plus luminis ei ineſt, quo magis vero confuſe atque obſcure, eo magis caecis laborat tenebris (§ 296.) Quum igitur intellectus Dei omnia, quam maxime fieri poteſt, diſtincte cognoſcat (§. 289.) luce fulget perfectiſſima quae nullis vnquam interturbanda tenebris purior eſt puriſſima. Quapropter in Deo nullas lucis viciſſitudines, nullas omnino tenebras eſſe teſte ſcimus oraculo S. Scripturae.

§. CCXCVIII.

Status obſcurarum repraeſentationum eſt ſomnus. Cuius igitur cognitio nunquam eſt obſcura, ille ſomno nequit eſſe ſepultus. Intellectus Dei omnia diſtinctiſſime & ſine vlla obſcuritate repraeſentat (§. 289.) Ergo Deus a ſomno quam maxime alienus eſt, ideoque perpetuam agit vigiliam. Numquid igitur dormitare poteſt cuſtos Iſraëlis!

Schol. Somnus quid quaeſo eſt, quam vigiliae medium? Non immitteret natura ſomnum, niſi virium defatigatarum recreationem, vigi-

liae deinceps alacrius continuandae causa, intenderet. Vis Diuina nunquam defatigatur. Ergo, Deus somno non opus habet. *Aliud* nempe *est somnus, aliud sopor, aliud somnium. Somnium est imaginatio, somnus non est. Somnus est naturalis & placidus, sopor est profundus & plerumque noxius, vt temulentorum, fessorum, aegrotorum.* Sunt verba Ansonii Popmae Lib. IV. in voce somnus.

§. CCXCIX.

Errare est rei aliquid tribuere, quod ei non competit. Rebus autem ita aliquid tribuimus, si vnum ab altero non distinguimus, seu obscure ea cognoscimus. Hinc omnis erroris fons est obscura cognitio. Errare igitur non potest, qui nihil obscure repraesentat. Quum itaque intellectus Dei omnia distincte repraesentet (§. 289.) Deus ab omni errore immunis est. Nec quicquam coram eo obtegi, nihil eum latere potest. Nobis quidem aliquid obtegitur, si illud per interpositum aliud videre non licet. Distinctissime autem omnia contemplantis cognitionem nullius interpositio impedire potest. Hoc est: omnia sunt perspicua & detecta diuinis oculis.

§. CCC.

Senſus omnia confuſe, ſuisque inuoluta variis & quaſi ſepulta repraeſentant; quum enim nihil, niſi quod agit in organa ſenſoria exhibeant, nihil autem ea afficiat, niſi compoſitum; partes eius remotas & ſimplices exprimere nequeunt, ideoque ſenſatio omnis inuolura tenet, quae ſenſibus diſtingui non poſſunt. Senſitiua igitur in eo exulat cognitio, qui omnia ſine vlla obſcuritate repraeſentat. Sed intellectus Dei omnia quam maxime diſtincte explorata habet (§. 289.) Ergo in Deum non cadunt ſenſus.

Schol. Deus ergo non videt, non audit, &c. & proinde corpora eorumque attributa longe aliter perſpecta habet, quam homines, qui eorum cognitionem non niſi per ſenſus hauriunt. Id quod eorum confirmant teſtimonia, qui per intellectum magis, quam per ſenſus corporea perſpiciunt. Qui Phyſicam a limine tantum ſalutarunt, illud non vocant in dubium. Nonne Newtonus, qui colorum, Loeuenhoekius, qui guſtuum, Dodartus, qui vocis humanae, Saurinus, qui harmoniae muſicae diſtinctos magis conceptus ſibi formauerunt, longe alias harum rerum notiones conceperunt, quam alii ſolis adquirunt ſenſibus? Quid igitur de cognitione

omnium distinctissima statuendum est? At in quis Deus sensibus potest esse instructus, sed iisdem omnia distincte exprimentibus. Sed hoc idem sonat ac lapides loqui. Sensus vt sensus non possunt confuse non percipere, quaecunque percipiunt. Sensus Dei ab eius intellectu non differrent, si obiecta distincte exprimerent. Quid sit sensus & sensatio explicat Ill. Wolf. Metaphys. germ. p. 103. §. 220. Thummig. in institut. Psych. p. 120. 121. §. 29.

§. CCCI.

Organa sensoria sunt illae corporis partes, quae eorum actiones excipiunt, quae anima tamquam praesentia repraesentat, h. e. quarum ope sensationes formamus. Nullis itaque opus habet organis sensoriis, qui nullas format sensationes. Deo autem nulli sensus assignari possunt (§. 300.) nullis ergo instructus est organis sensoriis. Ergo nec corpus quoddam organicum Deo tribuendum est. Organicum enim corpus organis est instructum, seu definiente Wolfio in Cosmol. Lat. p. 209. §. 274. *Organicum dicitur corpus, quod vi compositionis suae ad peculiarem quandam actionem aptum est.* Vberiora leguntur in Bilfing. Dilucid. p. 235. §. 244.

Schol.

Schol. Veterum nonnulli dicuntur Deum finxisse tamquam animam mundi, ita vt Deus & mundus sint magnum aliquod animal, & mundus Deo sit, quod corpus animae. Fuerunt ex eorum numero Stoici, animam mundi Numen esse dictitantes. Seneca Quaest. Nat. L. II. c. 45. ita disputat & de Deo sermocinatur: *Ne hoc quidem crediderunt, Iouem, qualem in Capitolio, caeterisque aedibus colimus, mittere manu fulmina, sedeumdem, quem nos, Iouem intelligunt, custodem rectoremque vniuersi, animum ac spiritum, mundani huius operis dominum & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo sunt suspensa omnia, causa causarum. Vis illum dicere prouidentiam? recte dicis; est enim, cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat & actus suos explicet.* Conf. Lucanus Pharsal. Lib. 9. v. 580. seq.

Nihil agimus, nisi sponte Dei, non vocibus vllis
Numen eget. - - - -
Estque Dei sedes nisi terra & pontus & aër
Et coelum & virtus, superos quid quaerimus vltra?
Iuppiter est, quodcunque vides, quocunque moueris.

De sensu mundo tribuendo mira leguntur sophismata apud Cicer. de Nat. Deor. Lib. II. pag. 1180. Sed hunc in modum deliraſſe, quosdam mirum non est; quis enim magis

quam rerum notionibus destitutus potest desipere. Repraesentationes omnes, quae corpus sequuntur organicum, obiecta pro eorum relatione ad aliquod aggregatum exprimunt ideoque semper nonnihil obscuri & confusi admixtum habent.

§. CCCII.

Non igitur proprie sed metaphorice sensationes & organa sensoria Deo tribuit Scriptura S. Intercedit enim cognitioni diuinae aliqua cum nostris sensationibus similitudo. Videmus scilicet, quando repraesentamus obiecta quae mediante luce percipi possunt. Audimus, quando repraesentamus mediante aëre repraesentabilia. Quum igitur Deus omnia cognoscat (§. 299.) etiam ea, quae nos quidem mediante luce, aut mediante aëre repraesentamus, licet modo longe eminentissimo cognoscit, & ob id Deus improprie dici potest videre, audire, &c. eique assignari queunt organa sensoria, e. g. oculus, auris, sed remotis imperfectis illis determinationibus, quae nostris sensationibus & organis sensoriis adhaerent. Item consequens cognitionis sensualis quam formant homines, est cognitio

tio saepe distincta, quam accedentibus intellectus operationibus, acquirunt: quo respectu aliqui non sine ratione Deum sentire, v. g. videre, audire &c. dicunt non formaliter, sed consequenter & effectiue, adeoque metonymice.

Schol. Summam certe Deus prodit sapientiam, dum infinita sua attributa, quae plenarie non capimus per finitas nostras adfectiones concipiendas significat.

§. CCCIII.

Imaginatio nihil aliud est, quam sensationis olim formatae resuscitatio. Qui igitur nullas format sensationes, ille etiam nihil imaginatur. Deus nihil cognoscit sensitiue, vtpote sensus non admittens (§. 300.) Ergo nullas quoque efformat imaginationis perceptiones seu phantasmata. Species imaginationis est somnium. Nesciret igitur, quid Deus sit, qui eum somniare somniet.

Schol. Aliter accipit imaginationem Buddeus in Phil. Pr. C. II. Sect. II. §. 12. pag. 35. vbi *vsu*, inquit, *receptum est, vt speciatim facultas ideas rerum componendi inter se, quae & ingenium dicitur, imaginatio vocitetur.* In aliam sententiam abit Thomasius in Fund. I. N. & Gent. L. I. C. I. de nat. hom. moral. pag. 33.

§. 19. Nobiscum in definienda imaginatione faciunt Ill. Wolf. Metaph. germ. p. 111. §. 235. Psychol. p. 54. §. 92. Bilfing. Dilucid. p. 244. §. 253. Thummig. Psychol. pag. 122. §. 36.

§. CCCIV.

Adfectus sunt conatus ex obscuris & confusis repraesentationibus oborti. Ergo nulli affectus possunt ei assignari, qui nihil obscure, nihil confuse cognoscit. Intellectus Dei omnia, quae cognosci possunt, distinctissime, nulla igitur obscure & confuse repraesentat (§. 289.) Proinde nulli in Deum cadunt affectus.

Schol. Ira, odium, amor, gaudium, tristitia, &c. sunt affectus. Hinc Deus proprie non irascitur, nec tristitia nec gaudio afficitur. Sed vti sensationes, sic quoque affectus Deo tribuuntur metaphorice. Inest enim hominum affectibus aliqua cum conatibus Dei similitudo. Hominum affectus sunt vehementes conatus aliquid appetendi aut auersandi. Et Deo competunt summi conatus, sed longe perfectiores, bonum appetendi, malum auersandi. Affectus amoris nostri est vehemens conatus ad perfectionem alterius tendens; odii, ad alicuius imperfectionem. Et Deus maximopere conatur bonos perficere, imperfectiores reddere malos; ideoque amore pios, improbos odio

odio prosequi dici potest metaphorice. Item quum effectus & consequentia nostrorum affectuum iidem pene sint cum consectariis voluntatis diuinae, affectus de Deo praedicari possunt effectiue & consequenter vt aiunt, non formaliter & affectiue, quia Deus suo conatu non afficitur, vt homines suis affectibus. Potuit autem Deus conatus suos perfectissimos hominibus non proprie significare, quia eorum ideis vtpote incognitis nullos terminos imposuerunt. Supererat igitur, vt humanarum affectiouum nomina ad suas transferret.

§. CCCV.

Possibilitas oritur, si ideae sibi non repugnant; Impossibilitas, si repugnant. Repugnare dicuntur, quae idem simul esse & non esse ponunt.

Schol. Non curamus hic, quae Rabbinis imputantur, credere eos & pro possibilibus habere a magistris celebribus in vtramque proposita partem, etiam si contradictionem inuoluant. Neque commouemur iis, quae Huetius regerere, videtur Traité Phil. de la foibl. de l'entend. hum. p. 167.

§. CCCVI.

Qui omnia, quae repraesentari possunt, repraesentat, ille omnes repraesentationes seu ideas, producit. Qui vero omnes ideas, ille quoque omnium idea-

idearum non repugnantiam seu consensum producit. Ergo qui omnia possibilia repraesentat, ab illo omnes oriuntur possibilitates (§. 305.) Ideo ab intellectu Dei dependent omnes possibilitates. (§. 289.)

Schol. De radice possibilitatum variae lites agitatae sunt. Antiquior sententia est Scholasticorum, qui, cum aeternas veritates, v. g. mathematicas sine conceptu Dei concipi posse sibi persuaderent, eo adducti sunt, vt possibilitates omnes a Deo independentes esse arbitrarentur, ideoque non possent principium aliquod possibilitatum a Deo diuersum & ipsi coaeternum non admittere; quod autem a veritate longe alienum est. Cartesius quidem possibilitatum omnium originem in Deo quaesiuit, conf. Vol. II. Epist. 104.) deriuat autem possibilitates a libero Dei arbitrio, quia iudicare, affirmare & negare opus voluntatis esse existimat. Vol. I. Epist. 112. Eamdem sententiam amplexus est Poiret, quamuis se vestigia Cartesii in hoc pressisse etiam atque etiam negat. Conf. Isagoge Libelli: vera & cognita omnium prima pag. 11. conf. 272. Scilicet, cum possibilitates a Deo independentes esse pernegaret, omnia autem a Deo dependentia libero eius arbitrio adscribenda esse putaret, factum est, vt ab eodem essentias & possibilitates rerum repeteret vid. L. C.

pag.

pag. 209. 210. Nec diffitendum, verum esse, quod possibilitates a voluntate Dei originem trahant, siquid medium locum non inuenit inter τὸ imdependens esse a Deo & dependere a voluntate Numinis. Sed omnino datur medium. Possibilitates rerum non sunt a Deo independentes, non promanant a libero Dei arbitrio, attamen a Deo sunt. Sunt etiam, qui possibila a diuina essentia seorsum ab attributis spectata deriuant. Ali eorum fontem a sapientia, alii a potentia, Dei repetunt. Qui eum in potentia collocant, videntur nescire, potentiam omnem non reddere aliquid possibile, sed eius possibilitatem supponere; nulla enim quamuis infinita vi possibile fit, quod erat impossibile. Idem negligunt, qui in sapientia ponunt; sapientia enim omnis media ad finem dirigit, ideoque eorum possibilitatem praestruit, non efficit. Nobiscum faciunt Leibnizius & Wolfius conf. Leibn. Theodic. §. 7. Metaphys. Wolf. §. 975. Nec dissentimus ab iis, qui possibilitates omnes ab essentia Dei ortum ducere autumant, siquidem intellectum Dei esse essentiam eius affirmant. Sed intellectus, obiicitur, non format essentias, sed formatas repraesentat, est quidem earum regio, non vero auctor seu conditor. Character quidem & criterium possibilitatum intellectus diuinus esse potest, quicquid enim Deus intelligit, verum & possibile est; ideoque principium cognoscendi, minime autem prin-

principium essendi possibilitatum intellectus diuinus est. Sed contrarium probauimus. Possibile illud esse, quod idearum repugnantia caret, concedunt omnes. Quodsi autem, quicquid possibile est, ideo est, quod ideae sibi non repugnant, certe possibilia ab eodem dependent, a quo idearum non repugnantia. Quis vero neget, hanc ab eodem esse, a quo sunt ideae; sublatis enim ideis, tollitur quoque earum non repugnantia seu consensus. Ideae sunt repraesentationes, repraesentationes sunt actus mentis. Omnes igitur ideae sunt ab intellectu diuino. Hinc etiam ideae non repugnantes. Ergo ab intellectu Dei pendent omnes possibilitates.

§. CCCVII.

Qui repraesentat idem simul esse & non esse, is repraesentat idem esse & non repraesentat idem esse; qui enim cogitat aliquid non esse, ille non cogitat illud esse. Qui igitur omnia simul, nil successiue repraesentat, ille, cum repugnantiam cogitat, aliquid simul esse & non esse cogitat, h. e. simul cogitat & non cogitat (§. 305.) Quod cum sit impossibile, intellectus Dei nullas repraesentare potest impossibilitates (§ 289. 305.) Hoc vero non obstat, quo minus omnia repraesentet.

§.CCCXVIII.

§. CCCXVIII.

Quum ab intellectu Dei omnes possibilitates originem trahant, (§. 306.) etiam illae quae in ente primae sunt & necessariae, ab eo dependent. Ergo intellectus Dei est fons omnium essentiarum (§. 18.)

Schol. Si essentiae rerum repraesentantur ab ente necessario, aeterno, immutabili, ipsae quoque sunt necessariae, aeternae, immutabiles.

§. CCCIX.

Qui omnium idearum non repugnantiam seu consensum progenerat, ille omnes perfectiones producit (78.) ideoque, qui omnes possibilitates, ille etiam omnes perfectiones efficit (§. 305.) Intellectus Dei igitur est auctor omnium perfectionum (306.) Omnia igitur bona, omnes perfectiones descendunt superne a patre luminis.

§. CCCX.

Qui nullam repugnantiam cogitare potest, is nullam repraesentat imperfectionem (§. 78.) Qui igitur nullas percipere potest impossibilitates, ille nullas cognoscit imperfectiones (§. 305.) Ergo intel-

intellectus Dei nullas potest repraesentare imperfectiones (§. 307.)

§. CCCXI.

Qui omnes possibilitates produxit, ab illo etiam dependet, quod vnumquodque per alterum possibile sit, quod omnia se mutuo determinent, seu quod vnum rationem alterius contineat. Illa autem rei affectio, qua suam habet rationem sufficientem, dicitur rei veritas; ille igitur omnes veritates produxit. Quum itaque ab intellectu Dei omnes dependeant possibilitates (§. 306.) idem quoque omnium veritatum auctor est. Et, quum ex intellectu diuino nullae impossibilitates promanare queant (§. 307.) ille etiam aliquid possibile esse, licet possibile non factum, h. e. determinatum sit, seu aliquid esse sine ratione sufficiente repraesentare nequit; & ob id aliquid esse sine ratione sufficiente, aliquid verum non esse, est impossibile.

Schol. Quid est veritas? magni ponderis erat quaestio, a Pilato proposita, nec soluta a Christo Ioh. XIIX. 38. Maximis veritatem deliriis allatrasse Scepticos & veteres & hodiernos notissimum est. Ciceronianus ille quaestionum

academ. liber eiusmodi plenus est sententiis: nihil quicquam sciri aut percipi posse. L. IV. T. IV. p. 54. ita scribit: *Si dies est, lucet: quanta contentio est? Aliter Diodoto, aliter Philono, aliter Chrysippo placet. Quid? cum Cleanthe, doctore suo, quam multis rebus Chrysippus dissidet? Quid? duo vel principes dialecticorum Antipater & Archidemus, opiniosissimi homines, nonne multis in rebus dissentiunt?* Et in officiis L. II. c. 2. *Nos*, inquit, *autem, vt caeteri alia certa, alia incerta, esse dicunt; sic ab his dissentientes alia probabilia, alia non probabilia esse dicimus.* Dicuntur vero dubitandi legem sibi tulisse Anacharsis, Empedocles, Xenophanes, Pherecydes, Pythagoras, Parmenides, Zenon Eleaticus, Heraclitus, Democritus, Plato, Carneades, Cicero, Lucullus, & alii. De Scepticismo Platonis testatur Cicero in Quaest. Academ. L. I. sub finem: *Hanc academiam nouam vocabant, quae mihi vetus videtur; siquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cuius in libris nihil affirmatur, & in vtramque partem multa disseruntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur.* Nostro tempore Scepticorum dubia mirum in modum exaggerauit praestantissimi ingenii vir, Baelius in Diction. hist. critico, praesertim sub articulo vtriusque Zenonis. Exemplum hodiernae de veritate dubitationis inuenias in libello Huetii, Traité Philosophique de la foiblesse de l'esprit humain. Mais il faut mon-

ther par la choſe même, que l'homme ne peut connoître la verité par la raiſon avec vne parfaite certitude. j'ai dit là deſſus, que la verité eſt la convenance de l'obiect exterieur avec le jugement, qu'en forme notre entendement, en veüe de l'idée de cet object, qui eſt en nous. Miſſis autem male ſanorum hominum deliramentis, veritatem in genere dicimus conuenientiam rei cum ratione ſufficiente. Qua quidem definitione nihil certius, nihil poteſt eſſe foecundius; vti enim ſomnia & mendacia pugna cum ratione ſufficiente metienda ſunt; ſic veritates ex harmonia cum ratione aeſtimandae veniunt. Quod cum ita habeat, facile intelligitur, omnium veritatum originem ad infinitum immenſi numinis intellectum referendam eſſe. Hanc ſententiam iam Platonem amplexum eſſe, auctor eſt Plutarchus de adulatoris & inimici diſcr. Tom. II. p. 49. lit. A. εἰ δὲ θεῶν ἡ ἀλήθεια, καὶ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς, πάντον δὲ ἀνθρώποις ἀρχὴ κατὰ πλάτωνα, κ. τ. λ.

§. CCCXII.

Ratio ſubiectiue ſumta eſt facultas vel actus perſpiciendi nexum rerum. Nexus vero eſt illa determinatio, qua vnum continet rationem alterius (§. 71.) ideoque ratio eſt facultas vel actus perſpiciendi rationes rerum. Quo quis igitur plures

res rerum rationes, quo accuratius perſpicit, eo perfectiori gaudet ratione.

Schol. Eamdem rationis ideam efformat Cicero offic. L. I. c. 3. §. 4. *Ratio* inquit, *eſt illa facultas, per quam quis conſequentias cernit, cauſas rerum videt, earum progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat & rebus praeſentibus adiungit atque annectit futuras.* Nec magnopere diſſentiunt verſus:

Nec prius impoſuit rebus finemque modumque
Quam coelum adſcendit ratio, coepitque profundam
Naturam rerum cauſſis, viditque quod vsquam eſt:
Manil. L. I. Aſtronom. v. 95. p. 4.

Nec dubium eſt, quin eodem ſpectauerit ill. Leibnizius, quando in Diſcours de la conformité de la foy avec la raiſon, ſub initium: *La raiſon* inquit, *eſt, l' enchainement des veritès.* Diſſentit Poiret in Fide & rat. coll. pag. 36. rationem enim minus congrue eam dicit facultatem, quae nobis phantaſia audit, quaue res ſenſu olim perceptas, iam abſentes, varie inter ſe componimus. Sed non videmus manticae, quod in tergo eſt; noſtram enim rationis definitionem non ſatis late patere nonnullis viſum fuit. conf. celeb. Walchii Lex. Philoſoph. ſub tit. Vernunfft. Verum enim vero experientia docet, rationis vocabulum non adhiberi, niſi haec idea prae-

sto fit. Cauendum, ne facultates mentis confundantur.

§. CCCXIII.

Quicunque omnia possibilia distinctissime repraesentat, ille possibiles omnes omnium possibilium rationes cognoscit, illius tanta est ratio, vt maior esse non possit, ille summa & perfectissima gaudet ratione (§. 312.) Deus omnia possibilia distinctissime repraesentat (§. 289.) Ergo infinita illi tribuenda est ratio (§. 250.)

§. CCCXIV.

Omnis repraesentatio est vel repraesentatio mere possibilium, vel existentium. Scientia mere possibilium dicitur scientia simplex seu simplicis intelligentiae, necessaria seu absoluta. Repraesentatio existentium est vel repraesentatio eorum, qui in hoc mundo existunt, extitere & extitura sunt; vel eorum, qui in hoc quidem mundo non existunt, attamen sub certis conditionibus & circumstantiis nactura fuissent existentiam. Illa appellatur scientia visionis seu libera; haec vero media; scilicet

cet inter scientiam simplicem atque visionis.

Schol. Notes velim, scientiam hic sumi latiori sensu pro quauis repraesentatione. Alias scientia est cognitio rerum solidis earum nixa rationibus, quam in Deo absque vllo gradu h. e. infinitam esse per innenarrabilem eius rationem intelligimus. Hanc scientiam nimis anguste definit Aristoteles; latius enim patet definitum quam definitio. Anal. poster. L. I. c. 33. organ. pag. 461. ita legitur: Ὅτι ἡ μὲν ἐπιστήμη, καθόλε, καὶ δι ἀναγκαίων, τὸ δὲ ἀναγκαῖον ἐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν - - - δῆλον ἂν περὶ μεν ταῦτα ἐπιστήμη ἐκ ἐστιν. Rerum igitur necessariarum tantummodo scientiam esse putat Aristoteles. Quo posito mathematicae duntaxat disciplinae, methaphysicae & alia circa necessaria versantes scientiam admitterent, quod autem nolim in mentem nobis veniat. Scientia quidem nititur necessitate, sed tantum consequentiae, non consequentis. Postulat necessitatem logicam in concludendo, non geometricam in existendo.

§. CCCXV.

Deus omnia, quaecunque sunt possibilia, cognoscit (§. 289.) Proinde illi competit scientia simplex, modo eminentissimo (§. 314.)

§. CCCXVI.

Quicunque cognoscit omnia possibilia, ille etiam omnia existentia cognoscit; nihil enim existit, nisi sit possibile atque in hoc vel illo nexu possibili constitutum (§. 4.) Deus omnia, quae esse possunt, repraesentat (§. 289.) Ergo in Deum cadit scientia visionis perfectissima (§. 314.)

§. CCCXVII.

Qui omnia possibilia distinctissime cognoscit, ille omnes possibilitates in systemata redactas, ille omnia sub certis conditionibus euentura repraesentat, & proinde scientiam habet mediam (§. 314.) Ergo Deo assignanda est scientia media eademque maxima (§. 289. 311.)

§. CCCXVIII.

Cui omnis, quae cogitari potest, scientia competit, ille dicitur omniscius. Ergo scientia simplex, visionis & media constituunt omniscientiam (§. 314.)

§. CCCXIX.

Deus habet scientiam simplicem (§. 315.) scientiam visionis (§. 316.) & scientiam mediam (§. 317.) Deus itaque est omniscius (§. 318.)

Schol.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0219
DFG

Schol. Quis itaque vanam esse diffiteatur opinionem P. Poireti in oeconom. Div. L. I. C. V. §. 4. 5. vbi Deum nonnullarum cognitione rerum se abdicare posse, quin actu nonnulla ignorare docuit.

§. CCCXX.

Scientia eorum, quae aliquando futura sunt contingenter, dicitur praescientia. Scientia igitur visionis inuoluit praescientiam. (§. 314.)

§. CCCXXI.

Quare, cum Deo competat scientia visionis (§. 316.) Deus omnium quoque praescius est (§. 320.)

§. CCCXXII.

Praescientia Dei nititur principio rationis sufficientis; quippe quo sublato & illa tollitur. Quum enim nihil euenire possit, nisi eius ratio sit in praecedentibus, Deus autem omnia distinctissime, omnesque omnium rationes perspiciat (§. 313.) etiam, omnia, quaecumque ex praeuiis suis causis sequutura sunt, prius quam adsunt, exacte habet cognita, perspicienti enim causas seu determinantia non possunt etiam effectus seu determinata non patefieri. Praeuidet igitur

Deus futura omnia, ideoque gaudet praescientia maxima (§. 320.) & quidem ob rationem longe perfectissimam (§. 313.)

Schol. Haec quicunque rite intelligit, calculum non adiiciet illorum sententiae; qui futura contingentia, v. c. mentis nostrae determinationes a Deo praesciri inficiantur. Inficiatur Faustus Socinus in Prael. Theol. C. VIII. cui nec aduersus videtur esse Ioh. Crellius in Libr. de Deo & attrib. Diu. C. XX. quippe qui ea tantum intellectui Diuino tribuit, quae pluribus in homine facultatibus adscribuntur.

§. CCCXXIII.

Quia rationes determinant, seu oppositum rei impossibile reddunt, rem efficiunt necessariam. Quare cum Deus futura omnia ex suis rationibus cognoscat (§. 322.) nec vllis erroribus sit obnoxius (§. 299.) quicquid Deus fore praeuidit, non potest non euenire.

Schol. 1. Fiunt ne ergo quaeuis phaenomena per diuinam praescientiam necessaria? Resp. Minime. Nullo enim pacto praescientia Dei, vtpote mera repraesentatio, rei interna mutare potest, & proinde non destruit eius contingentiam (§. 320.) Sunt autem phaenomena, in se quidem contingentia, necessitati adstricta per suas rationes semel stabilitas, i. e. necessitati

ceſſitati hypotheticae ſeu, ſi mauis, certitudini, ita vt non poſſent non exiſtere, licet a Deo non eſſent praeuiſa. Æque ac eclipſis ſolis neceſſitati non ſubiicitur, quia ab aſtronomo praedicitur, ſed per regulas motus illi obſeruandas, quae mathematico ſunt perſpectae. Poteſt igitur praeuiſio Dei in hypotheſin quidem rei euenturae, minime autem cauſſam aſſumi. Quod cum ita ſit, erroris rei ſunt, quicunque ex Diuina praeſcientia rerum arguunt neceſſitatem, quo pertinent nonnulli eccleſiae Reform. Doctores, Spanhemius in dub. Euangel. P. I. dub. 33. Zanchius L. III. de Nat. Dei, qu. 14. 15. Wendelinus in Theol. Chr. L. I. Th. 12. §. 9.

Schol. 2. Praeſcientiam igitur diuinam libertati actionum noſtrarum non obeſſe, quis non videat? Non enim acturi ſumus, quia Deus praeuidit, ſed praeuidit Deus, quia ob certas rationes acturi ſumus. Scilicet omnis actio ſua ſupponit motiua, ſalua libertate, ſeu repraeſentationes boni vel mali praeuias, quibus illis infertur neceſſitas moralis. Bona autem & mala ab anima repraeſentanda circumſitis continentur corporibus, quae per mechaniſmum mundi phyſici ad exiſtentiam euehenda ſunt. Repraeſentationes in anima ſequuntur ex ſtatu animae praecedenti, qui iterum ex praecedenti iterumque concipitur; adeo vt ex primo ſtatu mundi phyſici & moralis, primoque exiſten-

ſtentiae momento tota futurorum in vtroque euentuum ſeries colligi queat. Quum igitur Deus omnia in mundo corporeo & ſpirituali ad minutiſſima vsque perſpecta habeat, eundem omnium, quae in vtroque extitura ſunt, euentuum eſſe praeſcium mirum non eſt. Praeuidet itaque Deus & actiones noſtras, ob intelligentiam, ſpontaneitatem & contingentiam liberas, ob bonum autem malumque diſtincte cognitum moraliter neceſſarias; quae proinde, in ſe ab omni neceſſitate immunes, ſalua ſua libertate, non poſſunt non contingere.

§. CCCXXIV.

Conatus ex diſtincta boni repraeſentatione ortus dicitur voluntas. Tria igitur ad voluntatem requiruntur: vt adſit conatus; tum, vt oriatur ex repraeſentatione boni; denique, vt haec repraeſentatio ſit diſtincta. Omnis autem voluntas ſupponit intellectum (§. 249.)

§. CCCXXV.

Quicunque agit, ille habet conatum agendi (§. 29.) Hinc, quia Deus creauit mundum (§. 276.) ei ineſt conatus agendi (§. 275.) Omnis in ſpiritu conatus ad aliquid producendum tendens oritur ex repraeſentatione boni (per princ. Pſy-

Psycholog.) ideoque Dei conatus, quia spiritus est (§. 249.) originem traxit ex repraesentatione boni. Quum autem omnis repraesentatio in Deo sit distinctissima (§. 289.) Hic conatus non potest ex distincta boni repraesentatione non ortus esse. Ergo Deo competit voluntas (§. 324.)

§. CCCXXVI.

Eligere est sese sponte determinare ad aliquod contingens, quod distincte tamquam bonum repraesentatur. Facultas eligendi dicitur libertas. Ergo ad libertatem requiritur contingentia, determinatio spontanea & distincta repraesentatio. Libere proinde non agit, qui non distincte repraesentat obiectum, e. g. qui educit sortes; qui non agit contingenter, h. e. qui aliter non potest agere, e. g. qui figuram trianguli ita delineat, vt spatium tribus lineis includatur; qui vi externa ad agendum adigitur, e. g. qui ab altero perculsus in alium proxime adstantem delabitur. Libertas igitur non est sine voluntate, ideoque non sine intellectu (§. 324.)

§. CCCXXVII.

Deus voluntatem suam determinauit ad producendum mundum (§. 325.) Hic mundus est contingens, quia non est vnicum illud ens infinitum (§. 254.) & Deus eum quam maxime distincte repraesentauit; cognoscit enim omnia distinctissime (§. 289.) nec vi externa ad agendum cogi potest; est enim independens (§. 274.) & omnia ab eo dependent. (§. 280.) Ergo Deus eligit modo perfectissimo, & proinde voluntate gaudet quam maxime liberrima (§. 326.)

§. CCCXXVIII.

Bonum minus respectu maioris, quod excludit, est malum, ideoque solum bonum est optimum. Voluntas itaque nunquam non tendit ad id, quod optimum videtur (§. 324.) Proinde, qui non potest res non repraesentare, vti sunt, eius perpetuo ad vere optimum tendit voluntas. Deus igitur, quia nulli errori est obnoxius (§. 299.) semper vult id, quod vere optimum est.

§. CCCXXIX.

Quum Deus semper velit vere optimum,

mum, h. e. quo quicquam melius esse non potest (§. 328.) & omnia, quae esse possunt, ad existentiam deducere queat per suam omnipotentiam (279.) omne, cui Deus existentiam largitus est, optimum esse, ita vt melius esse nequeat, consequitur. Sin minus; Deus aut nescit, quid sit optimum; aut non vult optimum; aut quod vult, non potest exequi; id quod infinito eius intellectui, voluntati & omnipotentiae repugnat (§. 289. 328. 279.) Quare, cum Deus mundum creauerit (§. 276.) hic mundus non potest non esse optimus.

Schol. Congruit reuelatio, quae fuisse omne hoc uniuersum טוב מאד enarrat. Sunt quidem, qui mundum licet initio durationis suae optimum deinde in deterius inuisse statuuut. Sed cum vniuersalis in mundo sit omnium simultaneorum atque successiuorum nexus, vt vnum in determinatione omnimoda sine reliquis omnibus esse non possit: Deus, mundum decernens rationem habere debuit omnium statuum, qui a prima illius origine in omne vsque aeuum in mundo obtinent, atque intuitu omnium illorum ex lege sapientiae infinitae eligere. Non obstat igitur mundi corruptio, quo minus sit optimus; falsa enim est propositio: cuicunque adhaerent imperfectiones,

nes, illud non est optimum, quum & optimum nonnunquam sine imperfectionibus esse nequeat, nam a perfectionibus saepenumero separari non possunt imperfectiones.

§. CCCXXX.

Offenduntur nonnulli, si Deum non potuisse optimum non creare mundum asseras; quoniam hoc modo Deo libertatem denegari autumant. Libertatem, non bene intellectam omnis necessitatis expertem esse sibi persuadent, sive sit moralis, sive alia; quum tamen nemo nisi legitimis notionibus destitutus, eam non sine necessitate morali seu certitudine & veritate determinata, esse, inficias ire possit. Omnis enim actio libera proficiscitur a voluntate (§. 326.) voluntas oritur ex distincta boni repraesentatione (§. 324.) quae dicitur motiuum, ideoque nulla actio libera potest esse sine motiuis, aeque ac nihil est sine ratione sufficiente. Ratio aliam aliamque infert necessitatem. Motiua sunt rationes actionum, & proinde eas necessitati nonnulli, scilicet morali adstringunt, seu veritatem illis determinatam praestant. Quare actio non est libera, nisi cum necessitate morali

rali coniuncta; quippe quae libertatem promouet, tantum abeſt, vt eam deſtruat; nihil enim impedit, quo minus actio ſit contingens & cum intelligentia & ſponteneitate producta, ideoque libertati non officit (§. 326.) Quapropter Deus vi ſuae libertatis non potuit non eligere optimum; libere enim non egiſſet, ſi optimum non elegiſſet.

Schol. Inanem quoque ſibi ſcrupulum iniiciunt, qui, nequid potentiae diuinae derogetur, locutionem iſtam, Deum non potuiſſe meliorem mundum producere, condemnant. Nam melior mundus non fuit poſſibilis, quippe quem certe creaſſet; ideoque ſalua omni potentia, quae impoſſibilia non reddit poſſibilia, aſſeritur.

§. CCCXXXI.

Quia voluntas eſt conatus ad agendum (§. 324.) in ea continetur ratio exiſtentiae (§. 29.) Hinc, ſiquis omnia, quaecunque voluerit, producit, nec quicquam, quod non voluit, exiſtit, eius voluntas eſt principium exiſtentiae omnium realiratum. Deus omnia, quaecunque vult, ad exiſtentiam deducit; omni enim poſſibili poteſt exiſtentiam impertiri (§. 279.

278.

278.) nihil autem vult, nisi quod possibile est, quia voluntas sequitur intellectum (§. 324.) hic vero nil nisi possibile repraesentat. (§. 306.) Nec quicquam, quod non voluit, oriri potest; omnia enim ab eo dependent (§. 280.) Ergo voluntas Dei continet rationem eorum, quae existunt, omnium. Quare, cum ab intellectu eius omnia possibilia pendeant (§. 306.) entia omnino omnia, siue sint, siue esse possint, a Deo sunt.

Schol. Ratio igitur, cur aliquid existat, reddi potest ex voluntate diuina, minime, cur ita nec aliter existat, seu cur possibile sit, id quod penderet ab intellectu Dei. In scientiis igitur, quae versantur circa veritates abstractas seu possibilitates, inepte ad voluntatem Dei prouocatur; qui prouocat, voluntati Diuinae tribuit qualitatem occultam. E. g. cur voluntas supponat repraesentationem boni, non est petendum a voluntate diuina; aliter enim non est possibile. Essentiae rerum sunt merae possibilitates, ideoque non pendent a voluntate diuina, hinc Deus per suam voluntatem eas non potest mutare. Vnde non est, quod metuat homo, suam essentiam aliquando, si Deus velit, in essentiam erinacei abituram esse. Plerumque non distingunt mutationem essentiae a transitu ab una essentia ad alteram cogi-

tando

tando facto. Aliud est, mutare rei essentiam aliud, mutare cogitationem essentiae.

§. CCCXXXII.

Voluntas eo est perfectior, quo perfectior est conatus ad bonum (§. 324.) Ergo conatus ex distinctissima optimi repraesentatione ortus efficit voluntatem perfectissimam. Sed voluntas Dei est conatus ex distinctissima optimi repraesentatione ortus (§. 325. 328.) Ergo voluntas Dei est perfectissima.

Schol. Siquis igitur Deum creasse mundum negat optimum, ille perfectissimam Dei voluntatem labefactat, ille Deo tribuit imperfectiones.

§. CCCXXXIII.

Decretum dicitur determinatio voluntatis ad aliquam rem producendam. Hinc, quia omnis actio supponit conatum agendi (§. 29.) Quicunque aliquid produxit, siquidem spiritus sit, illud producendum decreuit (§. 324. 325.)

§. CCCXXXIV.

Quum igitur Deus voluntatem suam determinauerit ad creandum (§. 325.) eumdem etiam decreuit (§. 333.) Consequitur itaque, mundum existere per decretum Dei.

§. CCCXXXV.

Consultatio est actus, quo quis finem eiusque media repraesentat. Consiliarius, qui alteri aliquid decernenti finem & media repraesentat. Quum igitur, quicunque decernit, finem, qui est res producenda, sibi repraesentet, quia conatus oritur ex repraesentatione; finis autem non nisi per media existentiam nanciscipossit; omnis qui decernit, consultat. (§. 333.)

§. CCCXXXVI.

Deus mundum decreuit (334.) & proinde de producendo mundo consultauit (§. 335.) sed modo longe eminentissimo. Quia enim omnia simul & distinctissime repraesentat (§. 289.) non successiue sed simul fines & subordinanda media intuetur. Nec opus habet aliis, qui in repraesentandis fine & mediis ei operam nauent, non, inquam, opus habet consiliariis (§. 335.) Vnde illud: Quis fuit Dei consiliarius?

§. CCCXXXVII.

Quia omnia, quaecunque existunt, dependent a voluntate Dei (§. 331.) etiam omnia, quae existunt, per decretum Dei existunt. (§. 333.) Spectat igitur decretum Dei omnia, & proinde

inde est vniuersale. Quod cum ita sit, decretum Dei etiam est vnicum. Si enim omnia Deus decreuit, quae existunt, voluntatem suam ad vniuersum omnium, quae existunt, complexum determinauit, & quia possibilia ad voluntatem non pertinent (§. 331.) tantum ad eum determinauit, ideoque vnicum est decretum Dei (§. 333.)

Schol. Non autem excluduntur vniuersali Dei decreto particularia quae sunt voluntatis diuinae determinationes ratione huius aut illius creaturae, ita vt Deus quamcunque mundi partem & decreto vniuersali & particulari decreuisse dici possit; quia decretum vniuersale omnia particularia includit. Sin illa dicas particularia, quae ratione huius aut illius creaturae vniuersali decreto sunt contraria, nulla dantur particularia, quippe quae voluntatem diuinam imperfectionis arguerent.

§. CCCXXXVIII.

Executio est actus, quo id, quod decretum est, ad existentiam deducitur. Si decretum existentiam non nanciscitur, adsunt impedimenta (§. 188.) quae vel non praeuidere, vel praeuisa non remouere licet. Si non praesentimus impedimenta, proficiscuntur a nexu causarum

occulto, qui dicitur fortuna. Decreta igitur noſtra intermiſcente ſeſe fortuna ſaepiſſime in fumum abeunt, ſaepe etiam executionem obtinent.

Schol. Leibnizius in miſcellaneis p. 219. §. 167. Il n' y a rien, inquit, qui ſoit abſolument en notre pouvoir. Mais il n'y a rien, qui le ſoit plus, que nos propres penſées. Circa definitionem fortunae conſentit Cicero in Top. p. 188. c. 17. *Latent*, inquit, *quae ſubiecta ſunt fortunae. Cum enim nihil ſine cauſa fiat, hoc ipſum eſt fortunae euentus, obſcura cauſa, quae latenter efficitur. Iacere telum voluntatis eſt, ferire, quem nolis, fortunae.* Fortunae igitur quicunque eſt obnoxius, quia phaenomena ſuis actionibus ſe immiſtura non praeſentiſcit, defectu intellectus & rationis laborat. Hinc fortunatum eſſe ſupponit ignorantiam. Quod cum ita ſit, neſcio, an maior ſtultitia excogitari poſſit, quam ſortunam, h. e. ſui ipſius conceptum ad inſtar Dei colere. Riſit hanc ſtultitiam omnia ridens Democritus apud Euſebium Praepar. Euang. c. 27. τύχης εἴδωλον ἐπλάσαντο, πρόφασιν ἰδίης ἀγνοίης. Riſit eam iuuenalis Satyr. X. pag. 383.

\- - - - - - - - - Semita certe
Tranquillae per virtutem patet vnica vitae.
Nullum Numen habes, ſi ſit prudentia, nos te,
Nos facimus, fortuna, Deam, coeloque locamus.

Augu-

Auguſtinus L. IV. de Civ. Dei C. I. ita ſcribit: *Cur fortuna Dea putatur, quae ſine ullo iudicio venit & ad bonos & ad malos? quae ita caeca eſt, paſſim in quoslibet incurrens, vt ſuos cultores plerumque praetereat.* eo tamen dementiae deueniſſe gentiles teſtatur Liuius L. II. c. 40. p. 182. Valerius Max. L. I. C. 8. num. 4. p. 34. Varro de lingua Lat. L. IV. p. 20. Dio Caſſius L. XLI. p. 159. Strabo L. VIII. p. 381. Diod. Siculus Biblioth. Hiſt. L. XIII. p. 150.

§. CCCXXXIX.

Quum Deus omnia, quaecumque vult, ad exiſtentiam deducat (§. 331.) etiam omnia, quae decernit, exequitur (§. 338.) Scilicet cuiuscunque decretis nulla obſtare poſſunt impedimenta, ille ſua decreta ſemper exequitur (§. 188.) Deus autem, qui omnia diſtinctiſsime cognoſcit (§. 289.) nullo infortunio impediri poteſt (§. 338.) & quia omnia, quaecunque exiſtunt, in eo habent rationem exiſtentiae (§. 279.) nulla, quae ſuperare nequeat, impedimenta adeſſe poſſunt. Ergo Deus omnino impediri non poteſt (§. 338.) & proinde omnia decreta exequitur.

Schol. Deus non ſolum fortunae non ſubiacet, verum etiam omnis fortuna ab eo dependet;

quia omnia quae existere possunt, fiunt per ipsius decretum. Deus igitur nec adiuuari potest fortuna, nec impediri.

§. CCCXL.

Quia Deus nil vult nisi vere optimum (§. 328.) quidnam Deus velit, quidue nolit, facile cognosci potest, si patet, quid sit optimum, quidue non. Optimum est, quod perfectionibus diuinis maxime conuenit. Quicquid autem ad perfectiones mundi facit, illud respondet etiam perfectionibus diuinis. Ergo, quicquid congruum est infinito Dei intellectui, summae sapientiae & bonitati, illud velle Deum certum est. Quidquid promouet perfectiones mundi & vniuscuiusque partis in nexu cum caeteris spectatae, illud voluntati diuinae adscribendum est. Deus igitur vult damnare improbos, quos peccatorumm non poenitet; conuenit enim iustitiae. Vult, vt homo hominem perficiat, vt se ipsum perficiat; respondet enim bonitati diuinae.

Schol. Sic a priori erui possunt leges vniuersales, a Deo latae omnes, v. g. cultus vero Deo vnice exhibendus, obsequium parentibus praestandum, laesio nemini inferenda, &c. Sed plerumque

rumque tantum probabiliter voluntas Dei hoc modo innotescit; si nempe, numquid in nexu cum caeteris Dei perfectionibus consentiat, nec ne, non satis constat. Hic inquirendum, vtrum aliquid perfectionibus Dei & mundi magis congruat, an eius oppositum; quo facto, quidnam Deus velit prae ceteris apparet. v. g. Planetas incolas ratione praeditos alere, perfectionibus diuinis magis videtur conspirare, quam iisdem destitutos esse; ideoque illud voluisse Deum existimandum probabiliter.

§. CCCXLI.

Et a posteriori, vt aiunt, voluntas Dei innotescit. Quicquid enim Deus produxit, id voluit (§.325.) & proinde quum mundum creauerit (§.276.) mundum vniuersum voluit. Mundo autem aequipollet vnaquaeque pars vel minutissima, cum caeteris omnibus simul sumta, h. e. in nexu cum caeteris spectata. Ergo Deus vult quamcunque mundi partem, non in se, sed in nexu cum caeteris omnibus spectatam. Vult itaque nullam non mundi mutationem, naturae rerum conuenienter factam & in nexu consideratam.

Schol. Omnis natura pendet a Deo. Ergo Deus vult omnem naturam, ideoque omne id, quod per naturam determinatur. Vult igitur Deus

totum ius naturae, seu omnes leges naturales; vult itaque, faciamus ea, quae bona sunt, perficiamus intellectum, voluntatem, memoriam, sensus, membra nostri corporis, statum nostrum externum, eodemque modo perficiamus alios. Quodcunque existit in mundo, id vult Deus. Vult itaque motus corporum ita potius quam aliter existentes, vult regulas motuum omnes, v. g. vnum corpus alterum mouere successiue, motum corporis dirigi nunquam non secundum impulsum corporis alterius, &c. Anima suas obseruat regulas in cogitando. Ergo Deus vult istas regulas omnes, vult leges imaginationis, vult Logicam omnem. Vult autem ea omnia, quatenus existunt, non quatenus possibilia sunt.

§. CCCXLII.

Id, quod aliquis vult ad existentiam deducere, dicitur finis, & quod continet rationem existentiae finis, medium. Habitus inueniendi media ad finem, est duplex; quum enim finis sit vel licitus vel illicitus, ille etiam abit in duas species. Habitus subordinandi media finibus licitis est sapientia; illicitis dolus. Si deficit habitus inueniendi media, oritur stultitia.

Schol. Nullo negotio haec nostra sapientiae definitio conciliatur cum eorum sententia, qui *sapientiam* dicunt *scientiam veri & honesti.* Non

Non differt ab eorum sensu, qui eam cum Cicerone de offic. L. I. c. 4 3. §. 7. *principem* dicunt *rerum tum Diuinarum tum humanarum scientiam, in qua continetur Deorum & hominum communitas.* Idem Cicero de Legib. L. I. p. 1242. *Quid autem*, inquit, *est non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra ratione Diuinius? quae cum adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.* Non dissentit nostra definitio ab eorum notione, qui *sapientiam* cum Leibnizio in Praef. ad cod. Diplom. p. 7. *scientiam felicitatis* interpretantur. Non denique ab eorum placito, qui *sapientiam* adpellant *dexteritatem omnes actiones ita inter se connectendi, vt tandem communi scopo principi inseruiant.* conf. Wolf. Metap. germ. §. 914.

§. CCCXLIII.

Qui voluntatem determinat ad aliquid, ille appetit finem (§. 342.) Ergo, qui aliquid decernit, finem intendit. (§. 333.) Quum igitur Deus hunc mundum decreuerit (§. 334.) mundus est finis Dei. Deus omnia, quae existunt positiua, decreuit (§. 337.) Ergo omnia quaecunque existunt positiua, sunt fines Dei. Deus porro nihil vult, nisi vere optimum (§. 328.) ideoque fines Dei sunt liciti, nec possibile est, vt Deus intendat fines illicitos;

ipsius enim perfectiones sunt norma & regula liciti.

§. CCCXLIV.

Quodcunque continet rationem finium diuinorum, illud est medium Dei (§. 342.) Quaecunque igitur continent rationem eorum, quae existunt, illa sunt media Dei (§. 343.) sed in essentiis & viribus rerum est ratio cur existant (§. 19. 29.) in illis quidem, cur ita nec aliter existant; in his autem, quod potius existant, quam non. Proinde essentiae & vires sunt media Dei.

§. CCCXLV.

Omnia in hoc mundo sibi mutuo sunt connexa; si non, mundus non est (§. 78.) ideoque vnum semper continet rationem alterius (§. 312.) Quum autem omnia, quae existunt Deo volente, sint fines Dei (§. 343.) Omnia, quae in hoc vniuerso existunt Deo volente, sunt fines & media Dei. (§. 342.)

Schol. Quicquid igitur existit, quicquid oritur, Deo volente, est finis Dei, est medium Dei, diuerso licet respectu. Sic omnis casus fortuitus, quatenus a Deo venit, est finis Dei, voluit enim eum existere; idemque est medium Dei,

Dei, nam ad obtinendos alios fines ſuum confert.

§. CCCXLVI.

Quicquid exiſtit, quatenus a Deo intenditur, eſt finis Dei (§. 343.) Ergo omnes perfectiones ex rebus reſultantes ſunt fines Dei. Perfectiones autem, quae ex rebus percipi poſſunt, dicuntur vſus rei. Hinc vſus rei eſt finis Dei. Homines, quia non omnia praeſentiſcunt, vſum ex aliqua re poſſunt percipere, quem obtinere non voluerunt; & ob id vſus rei nobis non ſemper finis eſt (§. 342.) Numquis autem rerum vſus poteſt eſſe, quem Deus fines & media ſubordinando non intendiſſet? Si Deus infinito gaudet intellectu, non poteſt aliquem vſum neſciuiſſe; ſi perfectiſſima voluntate, non poteſt, perfectionem cognitam non voluiſſe. Repugnat itaque, vſum ex aliquo redundare, a Deo non propoſitum; alias in conſilio diuino maior rerum conſenſus potuiſſet intendi, quam intentus eſſet.

Schol. Loquimur autem de vſu, vt tali, non de abuſu, vt tali; vſus enim rei bene ſecernendus eſt ab abuſu, h. e. actu, quo imperfectiones ex aliqua re eliciuntur, ideoque minime eſt finis Dei,

Dei, quippe qui semper velit optimum. Permittit quidem Deus eiusmodi abusus quum eos rerum nexui intextos saluis maioribus perfectionibus non liceat destruere; minime autem ad existentiam deducendos sibi proponit. Diuina autem prouidentia circa imperfectiones, creaturarum malitia mundum ingressas, mirum in modum est sollicita, vt eas, quocunque modo fieri possit, correctas in bonum dirigat; ideoque diuina illa gubernatione imperfectiones, creaturarum vitio elicitae, ita saepissime corriguntur, vt in media ad obtinenda bona abeant.

§. CCCXLVII.

Omnia igitur, quaecunque existunt Deo volente, sunt fines Dei liciti (§. 343.) sunt eadem media Dei (§. 345.) ad producendos autem suos fines essentias & vires rerum adhibet (§. 344.) Ergo Deo competit sapientia (§. 342.)

Schol. Siquis illa rata habere nolit, aut hunc modum euincendi diuinam sapientiam recens inuentum sibi persuadeat, ei possunt exhiberi aliorum eodem modo Dei sapientiam asserentium testimonia. Adeat itaque B. Scherzerum in Systemate Theologico Loc. II. §. XVII. p. 52. verba se habent ita: *Qui ex certo proposito agit & omnia ad optimum finem per media perfecte ordinat ac disponit, is ve-*

re

re ac proprie ſapiens eſt. Atqui de Deo illud verum eſt. Ergo & hoc. In eodem igitur, quo nos, ſapientiae diuinae momenta collocat. Notandum autem, ſapientiam Dei non per habitum definiendam eſſe; habitus enim eſt facultas, in Deum vero nulla cadit facultas. Eſt igitur ſapientia diuina actus, quo fines & media ſibi ſubordinat.

§. CCCXLVIII.

Deus in hoc mundo fines & media ita ſibi ſubordinauit, vt vnum ſemper ſit medium alterius, vt vnum ſemper ſit finis per alterum obtinendus (§. 345.) ideoque hic mundus non ſolum eſt opus omnipotentiae (§. 278.) ſed etiam ſapientiae diuinae (§. 342.) Sed in hoc mundo vnum ſemper eſt medium alterius, quia omnia ſibi inuicem ſunt connexa (§. 342. 312.) Hinc mundus non eſſet opus ſapientiae, ſi nullus rebus nexus intercederet, ſi mundus phyſicus non eſſet machina, ſed tantum opus omnipotentiae diuinae (§. 278.)

§. CCCXLIX.

Quum Deus ſemper velit optimum, h. e. quod ſuis perfectionibus quam maxime conuenit (§. 328. 340.) Mundum, qui eſt opus ſapientiae & omnipotentiae ſimul

simul, mauult, quam alium, qui tantum opus est omnipotentiae; ideoque mundum, cuius partes sibi inuicem sunt connexae, mundo, in quo nulla est connexio, praeferat necesse est (§. 348.)

§. CCCL.

Mutatio, cuius ratio non est in nexu rerum, dicitur miraculum. Mundus igitur, in quo omnia fiunt per miracula, est mundus sine rerum nexu (§. 312.) ideoque tantum opus omnipotentiae diuinae (§. 348.) Ergo Deus mundum miraculis refertum alteri naturali non potest non postponere (§. 349.)

Schol. Quia Deus vi sapientiae miraculis ad obtinendos fines aliis vtitur, eaque hoc modo naturae innectit; etiam miracula sapientiam Dei testari possunt, non quidem, quatenus sunt miracula, sed quatenus in media obtinendorum finium adhibentur. Attamen, quum miracula non sint fines per nexum rerum tamquam medium praestandi, tantae nequeunt indicia sapientiae esse, quantae phaenomena naturalia, quae tamquam fines media in hoc mundo sibi habent subordinata, ipsa vero aliis finibus assequendis tamquam media inseruiunt. Deus itaque, quia suis perfectionibus nunquam non agit conuenientissime, non agit miraculoso modo, vbi fines

nes per naturalia media obtineri queunt. Quare, si miracula edit, impossibile fuit, vt fines per naturam assequeretur; ea tamen, quantum fieri potest, sapientiae suae signa constituit.

§. CCCLI.

Nemo quicquam velle potest nisi bonum (§. 324.) Bonum est, quod perfectionem infert. Volumus itaque, quaecunque volumus, vt nonnullas assequamur perfectiones. Quum igitur Deus hunc mundum voluerit (§. 325.) eum aliquas assecuturus perfectiones produxit. Deus omnes, quae ipsi inesse possunt, perfectiones simul obtinet, quia est infinitus (§. 266. 250. 22.) Et proinde nouas adquirere non potest nisi tales, quae illi in se spectato nequeunt inesse, sed tantum in respectu ad alia, quae earum rationem continent, possunt competere, h. e. perfectiones externas. Nihil autem per creaturas perfectionis Deo potest accedere, nisi illarum, quas vna possidet infinitas, cognitio; caeteris enim, quas cogitare licet, affluit per se ipsum ad vnam omnibus. Deus itaque creauit mundum vt suae perfectiones innotescerent.

§. CCCLII.

§. CCCLII.

Complexus perfectionum, quibus aliquis exultat, dicitur eius gloria sensu obiectiuo. Alio nempe subiectiuo est aliorum de alicuius perfectionibus iudicium, vel vti Suidas habet in Lex. ad vocem δόξα T. I. p. 765. Δόξα ἐστὶν ὁ παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινος. Maiestas in specie consistit in potentia, quae saluis aliis perfectionibus exercetur. Quum igitur Deus mundum produxerit, vt suae perfectiones innotescerent (§. 351.) eidem existentiam impertiuit, vt gloria sua manifestaretur. Proinde finis Dei in producendo mundo vltimus est gloriae diuinae manifestatio, huius autem medium mundus (§. 342.) Ideas rei in aliis excitare est lucem rei affundere seu eam illustrare. Ideoque finis vltimus Dei est diuinae gloriae illustratio. Vid. Dni Pfaffii erudissima differt de gloria diuina, edit. 1733.

Schol. Petrus Poiretus finem Dei in condendo mundo esse ipsius gloriam negauit. Deum enim imaginatus est ita liberrime cum creaturis omnibus agentem, vt agere aeque ac non agere, ita agere aeque ac aliter Dei perfectionibus sit consentaneum; quum operando aeque optime faceret ac non operando, ideoque li-

libertatem Dei ad agendum, non agendum, sic vel aliter agendum indifferentem seu in aequilibrio positam esse sibi persuadet, ita quidem, vt vtrumque sit aeque optimum. vid. Oeconom. Diu. Lib. I. Cap. V. num. III. pag. 48. Quibus suppositis Poiretus omnino negauit, fines in creaturis esse diuinos, Deumque velle propter motiua ex repraesentatione obiecti desumta; ideoque absolutismo decretorum mirum in modum patrocinari videtur. Eiusmodi autem libertatis aequilibrium Deo maxime est indignum. Quid enim est aequipollentia liberae voluntatis aliud, quam ignorantiae effectus, quum ad vnum inter duo opposita non magis inclinatur quam ad alterum, quia per intellectum limitatum in altero praepollentes perfectiones & maiora bona non licet detegere? Sed quis Deo, omnia distinctissime repraesentanti hanc imperfectionem affricet? Erumpunt absurda toto agmine. Ponas Deum ita in aequilibrio fuisse, vt mundum creaturus aeque optime fecisset, si non creasset, adeoque suae gloriae manifestationem non magis curasse, quam eius omissionem, sane & in partialibus creandi mundi decretis est indifferens. Omnis itaque perfectionis collatio apud Deum aeque ac nulla est. Ergo perinde ipsi est, siue per Christum seruatorem eligat, siue non; siue in Spiritu S. sanctificet, siue non; siue improbos poenis afficiat, siue praemiis mactet; siue piis aeternam largia-

tur felicitatem, siue summam infligat infelicitatem. Tot absurda trahit voluntatis diuinae ad agendum indifferentia. Quid igitur de sententia Poireti, qua Dei arbitrium ad creandum aequipollenter indifferens fuisse opinatur, ita vt nullam gloriae ex creaturis venturae rationem in creando habuerit, sentiendum sit apparet. Distinguit inter vsus rerum & motiuum seu finem, quo Deus creaturas condiderit, earumque vsum esse optimum, vt gloriam Dei manifestarent, concedit; negat autem hunc vsum Deo creanti finem fuisse. Sed vana est haec distinctio; nullus enim vsus a creaturis proficisci potest, quem Deus aut non intellexerit, aut intellectum non intenderit, ideoque vsus rerum omnis est finis Dei. Vacillat quoque consequentia: Deus manifestationem suae gloriae obtinere potuisset, etiamsi alias res condidisset; ergo harum rerum creatarum motiuum non est illustranda gloria; nam per huius mundi creationem perfectiori modo suam gloriam illustrat, quam per creationem alterius. Obiicit quidem Poiretus, Deum ab extrinseco determinari ad creandum, si ob manifestandam gloriam crearet; sed negatur consequentia. Deus creat ob gloriam suam, nec ab externo determinatur. Non enim manifestatio gloriae Deo externa determinauit voluntatem diuinam ad creandum, sed repraesentatio manifestandae gloriae & consideratio in Deo fuit motiuum, vt

vt voluntatem ad creandum mundum determinaret. Nec gloria, cuius manifestandae ergo Deus mundum ad existentiam euexit, est inanis quaedam ac ambitiosa honoris cupido, qualem sibi finxit Poiretus, si propter eam tamquam finem vltimum Deus crearet, futuram esse; sed benignissima potius diuinarum perfectionum cum creaturis communicatio. vid. Poiretus in cogitation. Ration. de Deo, anima & malo L. III. C. XV. num. VIII. IX.

§. CCCLIII.

Gloria Dei melius innotescit per mundum, cuius partes sibi omnes sunt connexae (§. 348. 352.) quam alium, in quo omnia fiunt per miracula (§. 350.) qui solam maiestatem arguit (§. 352.)

§. CCCLIV.

Quod exinde oritur, quod Deus mundum condidit, id ipsum Deus, quia omnia quam maxime distincte repraesentat (§. 289.) per eum obtinere voluit, id est finis Deis (§. 342.) Sed quid exinde sequitur? Resp. Deus mundum creauit (§. 276.) Ergo Deus est causa mundi, mundus Dei effectus (§. 275. 176.) Proinde, quod ex eo fluit, Deum esse causam mundi, mundum Dei effectum, illud in condendo mundo fuit Dei finis.

§. CCCLV.

Signum dicitur, quod ideam alicuius excitat; signatum, cuius idea excitatur. Vnum excitat ideam alterius vel ope coniunctionis siue personalis, siue realis, vel ope similitudinis, quae vni cum altero intercedit; Vbicunque enim anima ab vno cogitando progreditur ad alterum, ibi vnum alteri vel aliquo modo simile est; vel in mente est coniunctum, nexu personali, quae sunt binae leges istae imaginationis per experientiam indubiae; vel nexu reali, quem sequitur lex rationis. Signa igitur sunt vel coniunctionis, quae per coniunctionem, vel similitudinis, quae per similitudinem cum aliqua re eius excitant ideam.

§. CCCLVI.

Quia causae & effectui perpetua intercedit coniunctio (§. 176.) effectus est signum causae (§. 355.) Deus voluit, vt mundus sui sit effectus (§. 354.) Dei igitur finis fuit, vt mundus ipsum significaret. Deus significatur significando ens infinitum (§. 266.) indigitando complexum omnium, quotquot vna possibiles sunt, perfectionum (§. 250.) manifestando

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0249
DFG

do gloriam Dei (§. 352.) Ergo finis Dei in producendo mundo fuit, vt ille gloriam significaret suam, vt eius ideas excitaret (§. 355.) vt suam gloriam illustraret (§. 352.)

Schol. Quodsi mundus gloriam Dei tantopere manifestat, cur eum non citius creauit, vt ipsius gloria citius illustraretur? Num Deus summa libertate & independentia gaudens ab aliquo sufflaminari potuit? Hanc siquis formaret quaestionem, sane res distincte nesciret concipere. Citius enim omne aeque ac serius supponit seriem aliquam succedentium, in qua citius retrahi, serius promoueri cogitamus. Quare, si mundus citius creari potuit, ante eum non potest successio rerum non fuisse, vt ad priorem eius partem reuocari; si serius, ad posteriorem differri potuerit. Quum autem mundus sit series rerum omnium & simultanearum & successiuarum, nulla ante eum fuit rerum successio, nulla succedentium series. Ac proinde dici non potest, mundum aut citius aut serius creari potuisse; citius enim creare mundum idem sonat, ac maiorem rerum sibi inuicem succedentium seriem sistere, ideoque efficere, vt v. c. aliquot hominum millia Adamum praecedant, ex quibus procreatus sit. Hoc autem foret, ac Humano capiti ceruicem pictor equinam iungere si velit, vt ait Leibniz. Recueil pag. 117. T. I. §. 56. Adde, quod mundus citius aut serius creatus, si crea-

ri potuit, sit alius mundus; ideoque si quaeratur, vtrum mundus citius aut serius creari potuerit, reuera vtrum alius mundus condi potuerit, quaeri, nemo non videt. Si verum, inquis, creatione mundi nihil citius cogitari posse, nec Deus mundo prior erit. Resp. Deus mundo est anterior non tempore; sic enim fuisset tempus ante tempus: sed ratione causalitatis, quatenus est causa mundi; omnis enim causa suo effectu si non ratione temporis, tamen natura prior est. Conf. Weiss. Metaph. pag. 157. Canon. IV.

§. CCCLVII.

Quo melius sui ideam aliquis excitat, eo perfectiora sui signa constituit (§. 355.) ideoque, qui per signa similitudinis & coniunctionis simul sese significat, ille perfectissimo modo se significat; plura enim signa constitui non possunt (§. citat.) Deus suam gloriam manifestat per mundum corporeum, tamquam signum coniunctionis (§. 356.) & simul per mundum spiritualem, tamquam signum similitudinis (§. 288.) & coniunctionis; & proinde gloriam suam modo perfectissimo illustrat.

Schol. Quodsi igitur Deus aut mundum physicum aut moralem omisisset, gloriam suam non ita

ita perfecte, quam per vtrumque creatum illustraret. Inseruit hoc idealistae, qui tantum admittit spiritus, refutando. Quum enim Deus propter infinitum intellectum, voluntatem & sapientiam non possit perfectissimo modo sese non significasse, per mundum autem corporeum & spiritualem melius significetur, quam solum spiritualem, corpora existere consequitur.

CCCLVIII.

Quodcunque alterum repraesentat, illud vel per similitudinem vel coniunctionem repraesentat (§. 355.) vnde dantur specula coniunctionis & similitudinis (§. 69.) Speculum similitudinis speciali sensu speculum dicitur; generaliori speculum audit, quicquid signum est (§. 355.) Mundus igitur est speculum Dei (§. 356.) moralis quidem speculum similitudinis (§. 357.) generaliori sensu autem, omnia, quaecunque existunt, sunt specula Dei.

Schol. Omnia quidem certo respectu Dei sunt similia; quicquid enim existit, habet conatum suam comprobandi existentiam, Deus autem suam existentiam creando mundum quam maxime manifestam reddidit; in hoc igitur omnia cum Deo conueniunt: Sed similitudinis, quae Deo cum creaturis intercedit, dantur gradus. Primus quidem idemque infimus est, similitu-

do metaphysica, qua omnia, & Deus & creaturae entium atque substantiarum nomine veniunt, h. e. conatu existentiam testandi instructae sunt, ideoque similitudinem cum Deo habent generalissimam. Maiori cum Deo gaudent similitudine, quaecunque vim claras formandi repraesentationes exercent. Tertius deinceps gradus complectitur ea, quae intelligentiam a creatore nacta sunt. Quartum denique attingunt, qui prioribus gradibus perfectionem moralem addunt. Singulorum graduum diuersa iterum datur quantitas. Mundus itaque moralis, qui spiritus h. e. substantias intelligentes complectitur, maximam cum Deo sibi vindicat similitudinem, ideoque speculum diuinae gloriae mundo corporeo est perfectius. Sed creata omnia, obiici posset, ne ratione quidem existentiae creatori possunt esse similia, omnium enim creatorum existentiae a creatore pendent. Conceditur, creatorum existentiam, quatenus a creatore dependet, non esse similem existentiae creatoris; similis tamen est, quod ad existentiam, seu formalem sensum.

§. CCCLIX.

Alius mundus alias habet perfectiones, aut minores aut maiores; adeoque inter plures mundos vnicus tantum est optimus. Quodsi igitur Deus praeter optimum

mum adhuc alium feciſſet, mundum creaſſet, qui non fuiſſet optimus. Quum autem Deus ſemper ſciat optimum per infinitum intellectum (§. 289.) & ſemper velit optimum (§. 328.) optimumque poſſit producere per ſuam omnipotentiam (§. 278. 279.) Mundus, qui non eſt optimus, non ſignificat perfectiones diuinas (§. 355.) Et proinde Deus, ſi praeter optimum alium mundum condidiſſet, feciſſet mundum, qui non eſſet ſpeculum ſuae gloriae. Sed vltimus Dei finis in creando mundo eſt, vt ſuam gloriam illuſtret (§. 356.) vt ſit ſuarum perfectionum ſpeculum (§. 358.) Ergo Deus nullum praeter optimum, ideoque vnicum tantum mundum condidit. Exiſtit igitur mundus vnicus (§. 331.)

§. CCCLX.

Si plures mundi exiſterent, non omnia, quae exiſtunt, ſibi eſſent connexa; quousque enim res ſibi ſunt connexae, eousque vnus mundus ſe extendit (§. 78.) Si vero rebus non intercedit nexus, non ſunt opera ſapientiae diuinae (§. 348.) & proinde totus omnium exiſtentium complexus, in duos mundos bipartitus, opus

quidem est omnipotentiae diuinae (§. 278.) sed tantam Dei non arguit sapientiam, quantam significat, si vnicum mundum constituit. Deus itaque vnicum mundum pluribus antepoſuit (§. 349.) Hinc vnicus tantum mundus exiſtit (§. 331.)

Schol. Si vnicus tantummodo mundus exiſtit, vel extra illum ſpatium eſt poſſibile, vel non. Si illud, nulla ſuppetit ratio, cur mundus hoc potius, quam aliud ſpatium occupet, quum omnia ſpatia in ſe ſint perfecte eadem. Sed nihil eſſe poteſt ſine ratione ſufficiente. Ergo ſpatium extra mundum nullum eſſe poteſt, ideoque mundus omnia ſpatia occupat. Quum igitur ſpatium aliquo ſenſu in infinitum vsque poſſibile ſumi queat, mundus eodem ſenſu in infinitum ſeu in indefinitum vsque eſt extenſus. Nihil igitur ad nos ſubtiles nonnullorum vitiligationes, quibus diſceptarunt, vtrum ſit ſpatium extra mundum vacuum, vtrum vero non? Quorum vnus Henricus Morus dari extra mundum ſpatium extenſum, vniforme, continuum, indiuiſibile, immobile & ab exiſtentibus penetrabile opinatus eſt. Eidem ſententiae etiam Clarkius videtur addictus eſſe. Sed argumenta eorum, quae ipſis paſſim irrefragabilia videntur, contra nos non militant, qui mundum certo ſenſu in infinitum vsque extenſum non ſine ratione ſtatuimus, quatenus omnitudinem omnium entium compoſſibilium

atque

atque extra se positorum comprehendit, ex eo, quod mundus non tantum intensiue, sed quoque extensiue est optimus, vi sapientiae, benignitatis atque potentiae diuinae infinitae. Inanis igitur erat a Ridigero in Cartesium profecta obiurgatio, qua eum sententiae mundum pro Deo habentis accusauit, quod mundum diceret infinite extensum; spurius enim character Dei est infinita extensio, quum omne infinitum & absolute perfectum non possit esse extensum. Statuerunt illud Hobbes, Tertullianus, Pordaetsch, & alii. De infinitate mundi conf. Canzius in Ciu. Dei p. 221. §. 327. seq. Plura hac de re disputata videas in Theol. pacif. Wittichii C. VIII. num. LXXXVII. p. 63. seq. Caeterum argumentum Lucretii, quo mundum finitum esse probare voluit, de rerum Nat. L. I. v. 968. inseruit probandae mundi infinitae extensioni.

§. CCCLXI.

Qui optimos intendit fines, & perfectissimis ad eos exequendos vtitur mediis, eius summa est sapientia (§. 342.) Deus, quia semper vult optimum (§. 328.) optimos sibi proponit fines (§. 342.) & quia per rationem longe maximam exacte nosci, quaenam rationem alicuius finis praecaeteris perfectissimam contineant (§. 313.) etiam ad suos fines perfectissima eligit media

media (§. 342.) Ergo Dei sapientia maxima est, qua maior cogitari non potest.

§. CCCLXII.

Vbicunque fines & media ita sibi subordinantur, vt vnumquodque sit medium alterius & vnumquodque finis per alterum obtinendus, omnia autem in communi quodam fine promouendo accurate conspirent; ibi est maximus media inter & fines consensus, ibi suis finibus media perfectissimo modo substituuntur (§. 78.) Quum igitur Deus in hoc mundo ita omnia combinauerit, vt singula singulorum media & fines sint (§. 345.) omnia autem sint media ad illustrandam gloriam diuinam (§. 352.) Deus hunc mundum producendo exseruit sapientiam longe perfectissimam (§. 342.)

Schol. Vti ex aliis Dei perfectionibus, sic quoque imprimis ex infinita Dei sapientia certissime colligitur, Mundum nunquam iri destructum. In se quidem mundus nihil continet, ex quo eum aliquando interiturum esse intelligi posset. Mundus enim corporeus substantiis simplicibus constituitur, quae quousque in existendo pergunt, eo vsque per suas actiones & limitationes sese vario modo connectunt, & connectendo alia aliaque corpora constituunt.

Mun-

Mundus itaque corporeus perdurat, quamdiu substantiae simplices in existendo pergunt. Simplicia autem, quia partibus carent, in quas a natura resolui possint, a nulla vi destrui possunt, nisi conseruatrice. Et proinde mundus etiam corporeus, si quando existentia exuendus est, eam non nisi per voluntatem Dei amittere potest. Nec obstat dissensus Clarkii, quum, omnia corpora perpetuae vicissitudini obnoxia esse, experientiam testem allegat. Quamuis enim nunc haec, nunc illa crassiora corpora cessent, subtiliora tamen & sensibus non obuia, noua semper corpora compositura manent; cuius quidem oppositum numquam dictitabit experientia. Quodsi igitur nec in Deo quicquam est, ex quo futurus mundi interitus concipi queat, eum ab interitu tutum esse consequitur. Deum vero mundum aliquando annihilaturum esse, summae eius bonitati non minus repugnat, quam infinitae sapientiae. Posito enim Deum esse benignissimum, vti ponendum est, eumdem omnia largiri omnibus, nec quicquam sua perfectione exuere manifestum est. Deum autem nemini quicquam eripere, & tamen vnumquodque sua priuare existentia, est apricus idearum conflictus. Ergo per summam Dei bonitatem mundus nunquam in priorem possibilitatem rediturus est. Sed nec infinitae eiusdem sapientiae vlla ratione mundi interitus respondet. Maxima enim Dei sapientia efficit, vt nihil velit,

lit, nihil agat Deus, nisi quod ad eminentissimam suae gloriae manifestationem faciat. Numquid autem ad eam confert mundi destructio? nonne potius quam maxime ei repugnat? Deum itaque mundum olim deleturum esse, idem est, ac eum aliquando summam sepositurum esse sapientiam, quod nefas est asserere. Proinde eadem, quae Deum ad creandum commouit ratio, eum quoque ad mundum in infinitum vsque conseruandum determinat, scilicet gloriae suae & maiestatis illustratio. Nec quisquam in hanc sententiam ire potest, qui perpendit, Deum creata destruendo naturae rerum ad perpetuam durationem tendenti se contrarium praebere. Nihil enim velle Deum scimus, nisi naturae ab ipso semel stabilitae consentaneum. Hominis finiti est, magno apparatu aliqua fabrefacere, & fabrefacta postmodum euertere. Absque fine itaque manebit mundus & spiritualis & corporeus. Nec perdurante mundo spirituali cessare potest corporeus; spiritus enim finiti & inter eos animae & reuelatione & ratione teste suis singulae sunt circumuehendae corporibus, omne autem corpus ad existendum requirit immensam aliorum corporum seriem, h. e. totum mundum corporeum. Proinde, si perseueret mundus spiritualis, etiam corporeum eundemque infinitum suam continuaturum esse existentiam quis est inficias? Proinde hic prorsus abeo in sententiam Viri summi D. Klemmii, qui dis-

sert.

sert. Theol. *Orbis hic secundum qualitates & secundum praesentem substantiam est interiturus nec tamen annihilandus*, negauit ex S. Scriptura probari posse, quod quicquam sit annihilandum. Fateor cum eo, substantias compositas vt tales interire, substantias singulas, vt simplices in nihilum redigi posse nego. Quod ad Leibnizianam indestructibilitatis doctrinam attinet, de ea disputarunt Viri celebres. Recueil T. II. p. 362. seq. Brucker in der gelehrten Philosoph. Hist. T. VII. p. 488. seq. Illi vero errant, qui Leibnizii doctrinam eamdem esse putant cum doctrina Apollonii Tyanaei; hic enim nihil interire nisi in speciem externam aiebat, Crassescentibus vt sensibus possint obiici, & iterum attenuatis materiis, essentia aeternam & necessariam continuante existentiam. Leibnizio contra essentia physica non dicitur aeterna aut necessaria.

§. CCCLXIII.

Prudentia est habitus media ad existentiam deducendi. Differt itaque in eo a sapientia, quod illa praxin, haec theoriam spectat; illa exequitur, haec inuenit (§. 342.) Quum autem media exequuturus, adhibere debeat alia, quae illorum rationem continent, ideoque non possit nouis non vti mediis (§. citat.) Prudentia nihil aliud est, quam sapientia in exequendis mediis (§. citat.)

Schol.

Schol. 1. Vbi est sapientia, ibi non statim est sapientia in exequendis mediis; hinc vbi est sapientia, ibi non statim est prudentia. Dantur sapientes minus prudentes, dantur prudentes minus sapientes.

Schol. 2. Restringunt aliqui prudentiae notionem ad fortuita, ac habitum esse dicunt in exequendis mediis fortuita in vsum conuertendi: sed hunc significatum hic non sequimur, e. g. aduertat, cui volupe est, animum ad verba excellentissimi Dni. Prof. Canzii, Discipl. Mor. §. 3494. p. 1157. *Prudentia generatim est facultas, quae sapienter decreuisti, ita exequendi, vt quae decreto improuiso occurrunt, in rem vertantur praesentem. Differt ergo sapientia & prudentia: nempe sapientia veluti delineat; exequitur prudentia, &c.* Nonnihil diuersam prudentiae notionem sibi formauit Cicero L. II. de inuent. T. I. p. 147. *Prudentia*, inquit, *est rerum bonarum & malarum & vtrarumque scientia. Partes eius memoria, intelligentia & prouidentia*, &c.

§. CCCLXIV.

Quia Deus infinita ratione pollet (§. 313.) ideoque, quibusnam mediis ad alia media tamquam fines producenda, opus sit, optime cognoscit (§. 312. 342.) ei competit sapientia in exequendis mediis (§. 342.)

342.) & proinde Deo tribuenda est prudentia (§. 363.) Quum etiam eo maior sit prudentia, quo quis perfectiora media ad alia media exequenda adhibet (§. citat.) Deus propter infinitam rationem summam exercet prudentiam (§. 313.)

Schol. Hic illis non contradicimus, qui prudentiam Deo denegant in strictiori significatu (§. praeced. Schol. 2.) recte enim secundum eam, quam formant prudentiae notionem, pronunciant; cum respectu Numinis non dentur fortuita.

§. CCCLXV

Habitus seu promtitudo rebus impertiendi perfectiones audit bonitas. Quo quis igitur pluribus, quo maiores perfectiones & quo maiori studio & conatu tribuit, eo maior est ipsius bonitas. Summam igitur bonitatem exercet ille, qui studio quam maxime intenso entibus, quot cogitari possunt, omnibus omnes, quot capere possunt, realitates confert. Horum enim trium siquid deest, infinita non est bonitas, non est maxima, quia maior cogitari potest.

Schol. Bonitatem igitur rei hic non tribuimus in genere, quatenus ex ea perfectiones resultant;

sed pro morali entis intelligentis attributo sumimus. Definimus enim per promtitudinem seu habitum aliis perfectiones impertiendi. Parum igitur, aut nihil dissidemus a Leibnizio, qui in codice Diplom. praefat. pag. 6. *bonum* dicit *eum, qui amat omnes, quantum ratio permittit;* amare enim est perfectiones conferre. Perfectiones autem nisi ratione duce conferantur, abeunt in imperfectiones, ideoque bonitas non est sine ratione & sapientia. Id quod etiam Cicero innuit Off. L. III. C. 19. §. 734. *Siquis*, inquit, *voluerit, animi sui complicatam notionem euoluere, iam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria. Sapit autem ille, qui nocet cum bonitate ad propulsandam iniuriam.* Idem Cicero de Amicit. C. V. §. 7. ex Stoicorum mente scribit; *Negant quemquam virum bonum esse, nisi sapientem.*

§. CCCLXVI.

Deus omnes, quae rebus omnibus inesse possunt, perfectiones exacte habet cognitas, distinctissime enim omnia perspecta tenet (§. 289.) Omnia quoque omnibus, quantascunque capiunt, perfectionibus vult exultent; vult enim semper optimum (§. 328.) hoc autem de eo dici non posset, si non omnia perficeret, si non omnes conferret realitates; posset enim

enim melius velle. Et quum Deus sit ens infinitum (§. 266.) h. e. omnibus, quot compossibiles sunt realitatibus absque vllo limite & defectu intensis praeditum (§. 250. 22.) conatus eius creaturas perficiendi est infinite intensus. Denique omnia per suam omnipotentiam potest ad existentiam deducere (§. 279. 278.) Ergo Deus omnibus perfectiones, quotquot tribui possunt, omnes, studio, quantum fieri potest, intenso confert, ideoque est summe bonus (§. 365.)

Schol. Causa agit pro receptiuitate obiecti. Mirum itaque non est, exercitium bonitatis diuinae circa obiecta limitatum esse, eamdem tamen manere infinite intensam. Est autem bonitas Dei infinite intensa, quia studium eius conferendi perfectiones non tantum est in potentia aut facultate, sed perpetuo nisu & maxime serio, qui tantas creatis actu confert perfectiones, quantae conferri possunt. Non est illud studium impurum, seu mixtum aliqua indifferentia, minime studio aliquid imperfectius reddendi; non enim ita perficit creaturas, vt ad perficiendum aliquando indifferens esse aut aliquando non perficere possit. Hoc inuoluit bonitas infinite intensa. Dixerunt quidem iam olim Scholastici bonitatem Dei infinitam non solum extensiue,

ue, h. e. vt omnibus omnia bona conferat, nec solum protensiue, h. e. vt in aeternum vsque perfectiones impertiat, sed & intensiue infinitam; quid autem sit intensiue infinitum, minus luculenter explicarunt. Quum igitur tanta sit Dei bonitas, quantacunque solet esse, quum est infinita: mirum non est, etiam ethnicos, naturae lumen sequentes, Deum esse summum amorem, summam, a qua omnes pendeant perfectiones, benignitatem agnouisse. Audiamus Senecam de beneficiis L. IV. C. V. p. 700. *Non dat Deus beneficia? Vnde ergo ista, quae possides? Quae das? Quae negas? Quae seruas? Quae rapis? Vnde haec innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? Vnde illa luxuriarum instruens copia? neque enim necessitatibus nostris praeuisum est; vsque in delicias amamur*, &c.

§. CCCLXVII.

Quodsi autem Deus summe bonus est, omnia, quaecunque existunt, non possunt tantis non gaudere perfectionibus, quantis gaudere possunt. (§. 366.) ideoque plures, quam habent, habere nequeunt in nexu vniuersi. Siqua igitur mala rebus adhaerent, in nexu, cui rationales creaturae se ipsas immergere potuerunt, impossibile est, vt ab iis sint immunia.

§. CCCLXVIII.

§. CCCLXVIII.

Omnis imperfectio oritur, si realitates sibi contradicunt (§. 78.) Pro varietate igitur contradictionis varia est imperfectio. Si nonnullae realitates quoad maiorem maioremque quantitatem contradicunt essentiae rei, oritur malum metaphysicum. Si realitates corporeae repugnant aliis, adest malum physicum. Denique, si actiones liberae aduersantur fini entis intelligentis vltimo, enascitur malum morale.

Schol. Malum metaphysicum est, quod animae brutorum non formant distinctas rerum ideas & notiones, sicut homines; quod homines non adaequatas plerumque attingunt notiones, quemadmodum angeli; quod angeli non omnia distinctissime & simul cognoscunt, sicut Deus. Vbique enim quantitas intensior realitatum essentiae repugnat. Brutum sane non esset brutum, si polleret intellectu; homo non esset homo, si omnia intelligendo penetraret, angelus non maneret angelus, si omnia distinctissime perspecta teneret. Malum physicum est, si expectata seges colonos vanis aristis eludit, & annonae penuria emergit; si saxum vasto pondere deuexum in alicuius caput irruit; si inimicis flammis aedificia prosternuntur, &c. Hic enim est conflictus

ctus realitates inter corporeas. Malum morale est, siquis toto die pocula plena vrget, mentemque, vt aiunt, in vinum mergit; siquis nefandae veneri perpetuo gaudet indulgere; siquis mendaci lingua socios fallit, & pacta semel inita, vbicunque potest, violat; &c. hic enim actiones liberae fini hominis vltimo, h. e. obtinendae felicitati reluctantur.

§. CCCLXIX.

Omnes imperfectiones, quae non oriuntur ex contradictione actiones liberas inter & finem vltimum, nec ex conflictu realitates inter corporeas, proficiscuntur inde, quod realitates immediate repugnant essentiae rei. Ergo omnia mala vel metaphysica sunt, vel physica vel moralia (§. 368.)

§. CCCLXX.

Quum mala metaphysica originem trahant ex contradictione, qua possibilitati primae seu essentiae realitates per quantitatem repugnant (§. 368.) eadem ab essentia pendere consequitur. Essentia rei est necessaria (§. 18.) Hinc etiam mala metaphysica rebus necessario inhaerent; & ob id fieri non potest, vt ab iis separentur.

Schol.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850433607/phys_0267
DFG

Schol. Cognitio ſucceſſiua nec diſtincta vbique neceſſario cum eſſentia animae eſt coniuncta; impoſſibile enim eſt, vt ſpiritus pro ſitu corporis alicuius organici repraeſentans non ſucceſſiue ant quandoque non confuſe cogitet. Deus itaque creare non potuit animam, quae omnia ſimul & diſtincte cognita habeat, aeque ac efficere non poteſt, vt quatuor anguli aut totidem latera triangulum formen; idem enim ſonat, anima omnia ſimul & diſtincte perſpicit, ac anima non eſt anima, limitatum eſt ens illimitatum. Scilicet imperfectio metaphyſica nihil aliud eſt, quam limitatio rerum; quicquid enim eſt realitatum quod ad maiorem quantitatem repugnantia, illud eſt vlteriorum realitatum defectus, ſeu determinatio mutabilium, ideoque limes. Omnia praeter Deum ſunt finita, h. e. limitibus circumſcripta, & proinde nulla niſi Deus poſſunt non laborare malis metaphyſicis.

§. CCCLXXI.

Actiones liberae repugnant fini entis intelligentis vltimo ſeu obtinendae eius felicitati, ſi ad malum tendunt; bonae enim ſunt, ſi felicitatem promouent. Tendunt actiones liberae ad malum, ſi malum volumus (§. 324. 29.) volumus malum, ſi tamquam bonum repraeſentamus (§. 324.) Repraeſentamus malum tam-

quam bonum, quia erroribus obnoxii sumus. (§. 299.) errare possumus, quia nonnulla obscure, seu non omnia distincte cognoscimus (§. citat.) Non omnia distincte repraesentamus, quia distincta omnium repraesentatio est realitas per suam quantitatem essentiae nostrae finitae repugnans. Ergo malum morale ortum ducit a metaphysico (§. 368.) & proinde ab essentia dependens quoad possibilitatem est necessarium (§. 370.)

§. CCCLXXII.

Denique & mala physica, quum ex contradictione realitatum corporearum proficiscantur (§. 368.) dependent ab essentia corporum. Haec autem est necessaria (§. 18.) Ergo nec malum physicum a corporibus abesse potest.

Schol. Nonnulla in corporibus efficiuntur, per actiones nostras liberas, hinc etiam mala quaedam physica a moralibus, ideoque omnia a metaphysicis dependent. Mala physica sunt, si venus eneruat vires, si copia Bacchi tentat gressus & debilitatque pedes. Haec autem ortum debent malo morali.

§. CCCLXXIII.

Quum igitur mala metaphysica, moralia

ralia & physica essentiis rerum tribuenda, illis non possint non inesse (§. 370. 371. 372.) Mala omnia scaturiunt ab essentiis rerum finitarum, partim necessario, vt mala metaphysica quod ad actum, mala moralia & physica quod ad possibilitatem; partim contingenter, vt mala moralia atque physica quod ad actum; ad hunc enim nexus vel pneumaticus vel mechanicus praeterea requiritur: proinde a rebus separari non possunt (§. 369.) Deus igitur, quamuis omnipotens, quamuis summe bonus, res creare nequit, ita vt nullis malis laborent, quippe quae per essentiam vel nexum quempiam fiant necessaria. Multo minus autem, quum essentiae cohaereant aut a nexu rerum, cui tantum Deus tribuit perfectionis, quantum fieri potuit, determinentur, Deo tamquam auctori imputanda sunt.

§. CCCLXXIV.

Quia hic mundus est optimus (§. 329.) omnes praeter hunc mundum possibiles pluribus scatent imperfectionibus; ideoque hic est optimus, quia mala trahit minima. Quodsi igitur haec mala in mundo non offenderentur, non possent

plura non adesse & mundus non esset optimus. Proinde mala in hoc mundo obuia, quatenus sunt minima non impediunt maximam mundi perfectionem. Quare, cum Deus semper velit optimum (§. 328.) nec imperfectiones saluis rebus ipsis remouere queat (§. 373.) illas, vt conseruet perfectiones, non destruit. Vim suam sufficientem non adhibere contra rei existentiam, est permittere. Deus itaque mala permittit; si non permitteret, cum imperfectionibus tolleret perfectiones, mala minora destrueret & maiora inferret; ex duobus malis itaque maius eligeret, & mundum non produceret optimum. Haec omnia Deo sunt quam maxime indigna.

Schol. Longe plures in hoc mundo esse perfectiones, quam imperfectiones, exinde patet, quia eum Deus voluit; non enim voluisset, si malus fuisset, h. e. si eius imperfectiones superassent perfectiones. Sed etiam a posteriori euincitur praepondium boni; huius enim certissimum est indicium, quod vel minima facile animaduertimus mala, bonis autem quam plurimis abundamus, quae non sentimus. Scilicet, quo quid est rarius, eo magis, quo vero frequentius, eo minus attendimus, eo minus illud obseruamus. Quodsi vero Deus longe maiores, imper-

perfectiones exiguas permittendo, perfectiones obtinet, permittendo male non agit. Gentes rationem permissi mali non percipientes, binos induxerunt Deos, alterum bonum, alterum malum, quod est Manichaeismus. Conf. Lactantius de Ira Dei C. 13. Magorum hanc doctrinam fuisse legitur apud Diogenem Laërt. in prooemio p. 4. Duorum, quae statuere, alterum bonum Oromasdem, alterum malum Arimanium dixere. Manichaeismo autem, quamuis olim ceu gangraena serpserit, nihil est stultius. Quid enim est malus Deus? malum infinitum. Quid hoc? Quod omnes imperfectiones complectitur. Quid imperfectio? Defectus. Est igitur malus Deus infinitum malum, defectus s. immensum nihil. An insanius quicquam dici vel fingi possit, nescio.

§. CCCLXXV.

Multis autem multa affecta sunt imperfectionibus, quibus per suam quidem essentiam supersedere possent; adeo vt Deus mala creaturis videatur infligere, quum sartas illas tectasque praestare possit. Sed notandum, res & propter nexum, quo omnes arctissime cohaerent, nonnullas non capere perfectiones, quibus in se quidem possent esse instructae. Si enim vnum semper continet rationem alterius, innumerae innumerarum rerum per-

perfectiones in constituendo vno sibi non possunt non contradicere; id quod dicitur collisio. Ex contradictione autem perfectionum partialium oritur imperfectio totius (§. 78.) quam vitaturus illam habet remouendam. Sed perfectiones partium sibi mutuo repugnare non desinunt, nisi cessant existere. Neglectio perfectionum partialium propter collisionem dicitur exceptio. Proinde perfectionem totius conseruaturus habet, quod excipiat. Deus itaque ne perfectionem totius mundi pessumdaret, debuit excipere seu nonnullas partium perfectiones negligere; vnde earum oriuntur imperfectiones, quas admittere maxima totius mundi perfectio postulabat conf. Gottsched T. I. p. 133. in den ersten Gründen der gesamten Welt-Weißheit. Quum itaque Deus sit summe bonus (§. 366.): non potuit aliquas rebus perfectiones non denegare, vt salua maneret totius mundi perfectio (§. 365.) Quia vero & summe sapiens est (§. 361.) ita instituit exceptionem, vt, quam minimis fieri potest, partium imperfectionibus totius perfectio obtineretur (§. 342.) Nulla quidem fuisset collisio, nulla opus exceptione,

ne,

ne, si omnia ita produxisset, vt sibi inuicem non essent connexa, vt, quaecunque existunt, essent miracula (§. 350.) Mundus autem solum fuisset opus omnipotentiae & bonitatis diuinae (§. 348. 365.) nec vlla ratione sapientia Dei in illo fuisset conspicua. Hinc gloriam Dei tantopere non illustrasset, quam alius pulcherrimo partium nexu ornatus (§. 353.) quippe qui & omnipotentiam, & bonitatem & sapientiam diuinam significat (§. 348. 365.) Et proinde Deus omnes mundi partes non potuit non connectere (§. 349.) quodsi igitur singulae huius mundi partes, quotquot in se spectatae habere possunt, perfectionibus ornatae essent, aut Deus non esset summe bonus aut non summe sapiens.

Schol. 1. Nec est, quod Deum crudelitatis accuses, quod in hoc nexu, qui tuae aduersari videtur felicitati, nec potius in alio magis salutifero te constitutum voluerit. Quum enim infinito gaudeat intellectu, etiam non potest non cognouisse, maximas & tui & totius mundi perfectiones obtineri, si in hac mundi parte collocatus sis, maiores autem oriri imperfectiones per aliam in alio nexu constitutionem. Quodsi igitur Caluinistae decretum Dei de salute hominum absolutum ideo asserunt,

runt, quod nulla ratio sit, quod hominem huic potius quam alii nexui inseruerit Deus, maximopere fallunt; non enim quicquam Deus velle potest, nisi ob rationem ex repraesentatione obiecti desumtam, ideoque mundus corporeus secundum moralem tamquam normam est institutus.

Schol 2. Ex iis, quae diximus, adparet etiam, nostrum non esse, de operibus Dei eorumque perfectionibus & imperfectionibns iudicare, quippe qui omnem rerum mundanarum nexum perspectum habere non possimus. Leibnizius in Otio Hannou. p. 410. §. 4. hanc in rem ita: *Dum in hoc mundo versamur, non sumus in vero centro. Consideramus miranda Dei opera & creaturas non aliter, ac si inter scenas theatri cuiusdam secundum regulas optices pictas constituti essemus, vbi nihil nisi rudera, figuras inconditas & male cohaerentes reperimus, & artem magistri admiramur quidem, sed pulcherrimo prospectu vniuersi frui non possumus.* Cauendum quoque ab imperfectione globi huius terraquei ad imperfectionem totius mundi concludamus. Hanc terram puluiſculi ad instar respexisse legitur Iesaias C. XL. v. 15.

Schol. 3. Quae de imperfectione compositi ex collisione perfectionum partialium oriente tradidimus, noua non sunt aut inaudita. Praeclare intellexit Dionysius Halicarn. quoduis com-

compositum ex parte aliquid imperfectionis habere, quum L. VI. p. 382. ita disserit: Ὅτι πᾶν χρῆμα ὃν ἂν ἐκ πολλῶν σύνθετον ἢ νοσεῖν πέφυκε κατά τι τῶν ἐν αὐτῷ μορίων. Καὶ ἔτι πρὸς τούτοις ὡς ὅτε ἀνθρωπείῳ σώματος ἀεὶ τὸ κάμνον ἀποτεμεῖν χρὴ μέρος αἰσχρά τε γὰρ ἡ ὄψις ἂν γένοιτο τῷ λειπομένῳ, καὶ ἡ φύσις ἐκ ἐπιπολὺ διαρκής. ὅτε πολιτικῆς κοινωνίας τὴν νοσοῦσαν ἐξελάυνειν μοῖραν.

§. CCCLXXVI.

Iustitia est habitus tribuendi cuique suum. Habitus tribuendi est bonitas (§. 365.) Hinc ad iustitiam requiritur bonitas. Inuenire cuique suum, seu quod ei conueniens est, supponit habitum certis finibus media subordinandi, ideoque sapientiam (§. 342.) constituitur itaque iustitia sapientia & bonitate, & proinde nihil aliud est, quam bonitas per sapientiam directa seu bonitas sapiens. Nec sola bonitas igitur, nec sola sapientia absoluit iustitiam; dantur enim boni non iusti, dantur quoque sapientes non iusti; scilicet sola bonitas nimium, sola sapientia nihil tribueret. Nequid igitur nimium tribuat bonitas, ne admittat peccata amoris, per sapientiam dirigenda est.

Schol.

Schol. *Bonitas & in specie liberalitas, nisi adsit modus, in exitium vertitur.* Sunt verba Taciti Hist. L. III. C. 86. p. 429. Eamdem, ni erro, iustitiae ideam nobiscum format Cicero off. L. I. C. 6. §. 3. *Iustitiae*, inquit, *primum munus est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria, deinde vt communibus vtatur pro communibus, priuatis vt suis.* Requirit igitur bonitatem; iustus enim nemini noceat; requirit sapientiam; nocere enim potest lacessitus iniuria. Perstringit autem hanc iustitiae notionem Vir quidam celeb. tamquam mutilam & incompletam. Sed ex ea deduci posse omnia, quae de iustia praedicantur, generaliter sequitur ex definitione recepta, qua iustitia appellatur habitus cuique suum tribuendi, cum qua nostra definitio coincidit; nec in alio a vulgata differt, quam quod iustitiam a suis fontibus, bonitate, inquam, & sapientia, deriuet; & ostendat, quid sit tribuere vnicuique suum, scilicet tribuere pro conuenientia antecedentium & consequentium, quemadmodum obtinendi fines requirunt.

§. CCCLXXVII.

Quum iustitia sit bonitas per sapientiam administrata (§. 376.) eadem est habitus tantum alios perficiendi, quantum fini assequendo conuenit (§. 365. 342.) Si autem pro obtinendo fine aliquem perficimus, hic finis vel requirit, vt eum qui-

quidem perficiamus, ita tamen, vt simul afficiatur imperfectionibus; vel vt sine imperfectionibus ei perfectiones impertiamus. Si illud, iustitia est vindicatiua; si hoc, attributiua.

Schol. Nihil igitur officit infligenda imperfectio, quo minus iustitia sese vindicando possit exserere, quum & imperficiendo aliquis suam bonitatem possit ostendere. Siquis enim alicui mala quamuis grauissima infert, ei tamen inesse potest conatus perficiendi, quia grauiora non infert, quae inferre posset, & proinde cum bonitate nocet. Quare Deus salua sua iustitia in improbos aeternis poenis animaduertit, quia eos non omnibus, quibus afficere potest, malis afficit; sed pro suo conatu, omnes tantum, quantum fieri potest, perficiendi, quam minimis est possibile, poenis peccata vlciscitur. Iustus est princeps, est bonus, qui latronem sceleratissimum de furca iubet suspendi, quamuis ei mala infligat; maiora enim, quae inferre posset, non inferendo, posset enim igne comburendum tradere, conatum ei perfectiones largiendi ideoque bonitatem exserit. De sufficientia huius notionis, scilicet iustitiam esse bonitatem sapientem, Confer. Bilfinger. Dilucidat. §. 445. 452.

§. CCCLXXVIII.

Vbicunque igitur est bonitas & sapien-

tia, ibi est iustitia (§. 376.) Deo autem competit bonitas (§. 366.) competit eidem sapientia (§. 347.) & proinde Deo tribuenda est iustitia. Et quum summa sit Dei bonitas (§. 366.) summa quoque eius sapientia (§. 361.) maxima etiam est Dei iustitia; ac proinde ei competit iustitia attributiua, iustitia vindicatiua (§. 377.)

§. CCCLXXIX.

Siquid est separatum ab imperfectionibus, dicitur sanctum. Sanctitas itaque est perfectio rei sine imperfectione. Dantur species perfectionis & imperfectionis; dantur itaque species sanctitatis. Perfectio est vel metaphysica, vel physica vel moralis; est itaque & sanctitas vel metaphysica, vel physica vel moralis. Quo quid igitur magis separatum est ab imperfectionibus, eo sanctius est; qui ab omnibus omnino imperfectionibus alienus est, ille est sanctissimus.

Schol. Palaestina dicitur terra sancta, quia magis ab imperfectionibus, quam regiones aliae separata erat; seu, quia maioribus gaudebat perfectionibus; Deus enim ibi erat specialiter praesens. Eamdem ob rationem etiam Hierosolyma vrbs sancta appellatur. Proinde idea

idea sanctitatis vsui loquendi respondet. Nonnulli definiunt sanctitatem per id, quod ex sanctitate demum sequitur. Qui sanctitatem appellant puritatem labis omnis expertem, explicandum habent, quid sit puritas, quid labes; alias enim definitio aeque est ac nulla. Explicandum vero est ita, ne definitum ingrediatur definitionem, h. e. ne idea sanctitatis supponatur. Distinctiora videntur, quae Hermannus Witsius loquitur in Oeconom. foederum Dei L. I. C. III. §. 18. pag. 29. & Iacobus Arminius in Disputatt. priuatis, Disp. XV. §. 9. pag. 280. Sanctitatem enim Dei, ni fallor, ponunt in simplicitate eius morali, qua excluduntur omnia, quae perfectionibus diuinis opposita sunt. Nec in concilianda hac definitione cum nostra desudandum erit. Si enim sanctitas diuina est exclusio eorum omnium, quae perfectionibus Dei contraria sunt, certe est exclusio seu separatio imperfectionum; quae perfectionibus oppositae sunt.

§. CCCLXXX.

Quum Deus sit ens infinitum (§. 266.) nullis limitibus circumscribitur (§. 250.) ideoque omnes realitates seu perfectiones simul habet (§. 22.) Deus igitur ab omnibus imperfectionibus est quam maxime separatus, & proinde nuncupandus sanctissimus (§. 379.)

Schol. Quemadmodum igitur per infinitudinem Dei formaliter intelligitur, quod in Deo sit complexus omnium perfectionum compossibilium; ita sanctitatem Deo tribuimus, quatenus solas possidet perfectiones, nullis admistis imperfectionibus. Sic voluntas in Deo infinita est, quatenus vult ea omnia, quaecunque bona sunt conatu infinite intenso; sanctissima est, quatenus bonum ita amplectitur solum, vt non possit omne eius oppositum siue malum non odisse & remouere. Intellectus Dei infinitus est, quia omnes possibilitates, veritates & perfectiones summa distinctitate cognoscit; sanctus est, quia omnes possibilitates, veritates & perfectiones ita apprehendit, vt non possit omnia impossibilia, falsa & imperfecta non reprehendere. Vnum autem, omnes complecti perfectiones, ab altero, easdem solas complecti, seu infinitudo a sanctitate separari non potest, idcoque Deus essentialiter sanctus est.

§. CCCLXXXI.

Beatitudo in genere nihil aliud est quam multitudo perfectionum sine imperfectionibus eas interturbantibus. Quo pluribus igitur aliquis exultat perfectionibus, & quo rariores sese immiscent imperfectiones, eo maior est eius beatitudo. Siquis proinde omnibus perfectionibus

nibus abundat, ita vt nullae imperfectiones superueniant, ille est quam maxime beatus.

§. CCCLXXXII.

Quia Deus est ens infinitum (§. 266.) omnes habet realitates seu perfectiones compossibiles (§. 250. 22.) & quia est sanctissimus (§. 380.) nullis obnoxius est imperfectionibus (§. 379.) Ergo beatitudo Dei est maxima (§. 380.) creatura omnis seu ens cancellis inclusum non omnes habet, quas habere potest, perfectiones (§. 22.) sed plurimis laborat imperfectionibus. Hinc beatitudo tantum est in creaturis continuus ad maiores successiue perfectiones progressus. Dei itaque beatitudo non cadit in creaturam quamuis praestantissimam; est enim longe maxima & inenarrabilis (§. 381.)

Schol. Quo quid maiorem cum altero successiue identitatem, per operationem vnius in altero ortam, adquirit, eo magis cum eo successiue dicunt vniri; vnitas enim consistit in illa identitate. Beatitudo autem hominis nihil aliud est, quam progressus ad maiores paulatim perfectiones, ideoque homo beatus maiorem successiue cum beatitudine Dei identitatem

eamdemque per operationem Dei effectam adquirit. Et hoc est illa beatorum vnio cum Deo, fruitio & communicatio Dei. Datur operatio Dei generalis, specialis, specialissima. Hominis igitur cum Deo vnio vel generalis est, vel specialis, vel specialissima seu mystica. Quamuis autem in aeternum vsque homo beatus ad beatitudinem Dei magis magisque accedat, numquam tamen eam potest attingere, infinitum enim a finito infinitis distat parasangis.

§. CCCLXXXIII.

Siquis tot perfectiones assequitur, quot assequi desiderat, dicitur adquiescere. Quum itaque nemo plura expetere possit, quam sunt possibilia; ille demum summa adquiescit adquiescentia, qui omnibus, quae possibiles sunt, perfectionibus adfluit.

§. CCCLXXXIV.

Quum itaque Deus sit summe beatus (§. 382.) ideoque omnibus, quotquot sunt possibiles, perfectionibus gaudeat (§. 381.) summa quoque Deo tribuenda est adquiescentia (§. 383.) Et quum tamquam ens independens omnes suas perfectiones a se

se ipso habeat (§. 274.) Deus quam maxime in se ipso adquiescit.

Schol. Et creatura in Deo habet quod adquiescat; quippe qui omnia omnibus, quotquot ornari possunt, perfectionibus ornauerit. In se ipsa autem creatura non potest adquiescere, quia nihil eorum, quae ipsi insunt, a se habet. Nec homo in homine, quippe qui rarissime tot perfectiones confert, quot ab eo possunt expeti.

§. CCCLXXXV.

Voluptas oritur ex repraesentatione perfectionis; taedium ex repraesentatione imperfectionis. Quo quis igitur distinctius, quo maiorem perfectionem aut imperfectionem repraesentat; eo maiorem percipit voluptatem, eo maius sentit taedium. Qui omnes perfectiones quam maxime distincte repraesentat, illum summa frui voluptate asserendum est. Status perpetuae voluptatis dicitur felicitas.

Schol. Voluptatis genesin esse intuitum perfectionis, imperfectionis autem; repraesentationem generare taedium, quotidiana loquitur experientia. Nescit igitur perfectionem rei, qui nullam ex ea capit voluptatem; nescit imperfectionem, qui nul-

nullis per eam taediis afficitur. Habitus ex alicuius perfectionibus voluptatem capiendi, dicitur amor; vel vt Leibnizius loquitur in praefatione codicis diplom. pag. 6. *Amare est perfectionibus & felicitate alterius delectari.* Idem fere innuit cum Leibnizio Aristoteles Rhetor. L. II. C. IV. §. 4. p. 106. Ἀνάγκη φίλον εἶναι τὸν συνηδόμενον τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ συναλγοῦντα τοῖς λυπηροῖς. Quod cum ita sit, nescit perfectionem, qui eam non amat. Nescit igitur certissime Deum, qui eum amore non prosequitur, vt Iohannes scribit C. IV. v. 8. ὁ μὴ ἀγαπῶν, οὐκ ἔγνω τὸν Θεὸν. *Quid sit honestum, quid virtus, ignorat, qui eius non est amantissimus; siquis enim accuratius eam coepit contemplari, ardentissimo in illam feratur amore necesse est: quum nihil sit amabilius virtute, nihil quod magis adliciat ad eligendum.* Sunt verba Tullii, de Amicit. C. VIII. §. 10. 11. conf. Epist. L. XIV. ad Attic. p. 961. Soluitur ex hac amoris idea difficilis ille nodus de amore puro & mercenario, & perspicitur, vtrum vera sint nec ne, quae suae definitioni Aristoteles l. c. inserit, quod amemus μὴ διά τι ἕτερον, ἀλλὰ διὰ ἐκεῖνον sc. quem amamus. *Amor* enim *eo ipso, quia est amor, eamdem & communem cum amato utilitatem habet, felicitatemque alienam adsciscit in suam* conf. Leibn. in praefat. ad cod. Diplom. p. 6. 7.

§. CCCLXXXVI.

§. CCCLXXXVI.

Quum Deus omnia & simul repraesentet & distinctissime (§. 289.) omnes sui ipsius, eoque ipso omnes extra eum perfectiones summa distinctitate cognoscit. Quum autem tantae sint Dei perfectiones, vt nihil supra (§. 382. 381.) summa est in Deo voluptas (§. 385.) Et quia Deus est ens immutabile (§. 269.) nec eius perfectiones, nec earum in illo repraesentatio mutationi obnoxiae sunt. Est igitur voluptas Dei eadem semper & immutata; & proinde maxima est eius felicitas. (§ 385.)

Schol. Vti beatitudinis diuinae, sic quoque felicitatis creatura non capax est.

§. CCCLXXXVII.

Qui nullas potest repraesentare imperfectiones, illum nulla possunt taedia capere (§. 385.) omnis autem imperfectionum cognitio a Deo quam maxime aliena est (§. 310.) Ergo taedia in Deum prorsus nulla cadunt.

§. CCCLXXXVIII.

Illa in Deo realitas, quae rationem cae-

terarum omnium continet, est in Deo prima, ideoque essentia diuina (§. 19.) Sed ex intellectu, qui Deo competit, infinito (§. 287.) concipiuntur omnes eius perfectiones. Primo enim ex intellectus diuini infinitudine sequitur Deum ipsum esse ens infinitum (§. 251.) absolute necessarium & ens a se (§. 252.) ideoque vnum (§. 253.) Deum esse immutabilem, aeternum, primum & vltimum (§. 269. 270. 272.) esse independentem & creatorem mundi (§. 274. 276.) esse omnipotentem & conseruatorem mundi (§. 279. 283.) ideoque omni praesentem (§. 285.) Concipitur deinceps ex intellectu infinito infinita Dei ratio (§. 313.) omniscientia & praescientia (§. 319. 321.) voluntas liberrima & perfectissima (§. 325. 327. 332.) sapientia summa (§. 347. 361.) nec non maxima prudentia (§. 364.) Denique summa bonitas (§. 366.) iustitia inenarrabilis (§. 378.) maximaque sanctitas (§. 380.) &, quae Deo tribui possunt, omnia ex intellectu eius infinito & proinde ex vi omnia simul & distinctissime repraesentandi deduci possunt (§. 289.) Ergo vis infinita est primum, quod in Deo cogitari potest, seu essentia diuina (§. 19.)

Schol.

Schol. Non igitur essentia Dei, quam tradimus, est mere speculatiua, quasi Deum ab omni se-moueret operatione, quippe quae omnia eius attributa includat. Nemini quoque in mentem veniat, inexploratam Dei essentiam in se suscipere penetrandam, qui eam indicant, aut aliquam eius cum finitis identitatem definiunt. In genere & abstracto tantum essentiam Dei contemplantur; absit autem omnes eius determinationes velle inquirere, quod intellectum nostrum qua finitum quam maxime fugit. Nec inauditum est, essentiam Dei in intellectu collocari, quum iam Cartesiani idem fecisse sint putandi, qui essentiam spiritus in cogitatione ponunt. Quin & Scholastici primum Dei conceptum collocarunt in intellectuo radicali & formali. Radicale erat vis infinita repraesentatiua, formale autem, actuales omnium possibilium repraesentationes comprehendebat, vtrumque dicebatur intellectus Dei infinitus. Auctores inuenias citatos apud cel. Reuschium in Metaphys. Sic Iohannes Godofredus Bachmannnus, Theologus Duisburgensis in Theolog. Natur. essentiam diuinam dicit esse cogitationem perfectissimam. Iournal des Savans. 1705. 23. Nov. p. 1143. Mireris itaque tot mouisse controuersias sententiam Wolfii, qua intellectum Dei essentiam diuinam nuncupat Metaphys. §. 1069. Materiali quidem sensu dubium non est, quin essentia diuina in quacunque consistat perfe-

ctione

ctione; realiter enim attributa Dei omnia eadem sunt cum diuina essentia: Quaeritur autem an sensu etiam formali Dei essentia dici possit intellectus diuinus? Resp. ad essentiam rei duo requiruntur, 1) vt ex ea omnia rei attributa demonstrari queant, 2) vt consequenter sit primum, quod in re cogitari potest. Ex intellectu diuino vtique caeterae, quae Deo insunt, perfectiones omnes deduci queunt, ideoque primum est, quod in Deo determinatum, non generale aut vagum concipitur. Est itaque essentia diuina. Hinc etiam ab intellectu Dei definitionem peti essentialem quid prohibet? Deus igitur est ens omnia possibilia simul & distinctissime repraesentans. Multa quidem multi in hac definitione, nescio quo pruritu, vituperatunt; vix enim quicquam ante non exploratum, quod reprehensionem effugiat, reperias: Sed fundamento destituta facile corruunt. Obiiciunt, definitionem illam redolere idealismum. Quodsi autem Idealista Deo tribuit intelligentiam, caeteris perfectionibus exclusis, quod tamen in suo necessum non habet systemate, nihil sane praesidii in nostra offendit definitione, quae omnia Dei attributa inuoluit; sin minus, equidem non video, quidnam commodi ex ea sperare possit idealista. Deum, pergunt, definitionem illam sistere tamquam archimetaphysicum quendam, qui omnium possibilium ideas formet. Sed Deus est omnino archimetaphysicus

ſicus & quidem conſummatiſſimus; nulla tamen opus habet abſtractione, quemadmodum homines; omnia enim repraeſentat ſimul & diſtinctiſſime. Nullius, inquiunt, vſus eſſe religionem omnem, ſi nullum Deo cum hominibus intercedat commercium, quam mera eorum repraeſentatio. Sed talia noſtra definitioni exprobari poſſe, nego, pernego. Non enim eſſentia Dei, quam illa tradit, eſt complexus omnium Dei perfectionum, ſed hae ex illa demum concipiendae ſunt. Nolim in his tricis eſſe longior. Deum igitur eſſe ens omnia poſſibilia ſimul & diſtinctiſſime repraeſentans, eſt Definitio Dei, ſi Philoſophiam conſulas, ſufficiens. Obſcuram contra Dei ideam conceperunt gentes pleraeque, qui eam in ſola felicitate, praeſtantia & praeſidio populorum quaeſiuerunt. Obſcuriorem Epicuraei, qui in populos imperium Diis denegantes, numina ſua coelo ad voluptates perfruendas clauſerunt. Obſcuriſſimam Ægyptii, qui rem quamlibet praeſtantem pro Diis coluere vid. Ribov. Notas ad Rorar. p. 279.

§. CCCLXXXIX.

Imago eſt res ſingularis, per ſuas determinationes alterius determinationes internas & ſingulares exprimens. Hinc imago perfecta cum re expreſſa perfectam

ctam characterum ſingularium identitatem ſeu ſimilitudinem habere debet. Si quid itaque eſſet imago Dei perfecta, per ſuas determinationes referret qualitates infinitas (§. 266.) & proinde ipſum eſſet infinitum. Quare, cum praeter Deum omnia ſuis ſint incluſa cancellis (§. 253. 266.) Nihil poteſt eſſe imago Dei perfecta. Poteſt quidem Deus per aliud quodammodo exprimi, ſed tantum per ſignum hieroglyphicum, quod per ſuas determinationes abſtractas alterius abſtractas refert; dubium enim non eſt, quin creatura quod ad determinationes abſtractas aliquod Dei gerat ſimulachrum, adeoque imago Dei detur aliqualis.

Schol. Non magnopere ab his diſſentiunt, ni fallor, quae cecinit Lucretius de Nat. rer. L. V. p. 595.

Tenuis enim natura Deum, longeque remota
Senſibus a noſtris, animi vix mente videtur.
Quae quoniam manuum tactum ſuffugit & ictum,
Tactile nihil nobis quod ſit, contingere debet;
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipſum.
Diſſimiles debent tenues de corpore eorum
Quare etiam ſedes quoque noſtris ſedibus eſſe,
Quae tibi poſterius longo ſermone probabo.

§. CCCXC.

§. CCCXC.

Et animae ineſt vis aliqua repraeſentandi vniuerſi huius ſyſtema, quae conſtituit eius eſſentiam (per princ. Pſychol.) ideoque nonnullam identitatem eſſentiam animae inter & diuinam deprehendimus (§. 388.) Sed maximis adhuc diuerſitatibus animam a Deo ſeparatam concipimus. Deus omnia ſimul, diſtinctiſſime repraeſentat (§. 289.) anima non omnia, item quae repraeſentat, ſucceſſiue, confuſe, obſcure repraeſentat, & proinde limites animae ſunt, quae tantam illam inter & Deum differentiam efficiunt (§. 22.) Remotis igitur animae cancellis, remota inquam cognitionis particularitate, ſucceſſione, confuſione & obſcuritate attingimus repraeſentationem omnium ſimultaneam & diſtinctiſſimam, eaque ratione ab eſſentia animae ad diuinam licet aſcendere. (. 388.)

Schol. Eo, forſan, ſpectauit Plato in Alcibiad. ſ. de Nat. hom. T. I. pag. 120. ex vers. Mars. Ficin. *Id igitur animae diuini ſimile eſt, in quod ſane intuens & omne diuinum, Deum ſcilicet & ſapientiam cernens, ita ſe ipſum agnoſcet.* Nec latuit haec veritas Ciceronem, qui in conſola-

solatione T. III. p. 322. num. 28. seq. *Dei*, inquit, *imago est animus, ex ipso Deo delibata & profecta.* Quibus vltimis, si animam essentiae diuinae veluti particulam esse significare voluit, neutiquam cum eo faciendum est. Modus vero diuinas inuestigandi perfectiones, quem commemorauimus, est via eminentiae, qua creaturarum perfectiones Deo tribuimus absque vllo gradu. Cognoscuntur scilicet perfectiones diuinae vel arguendo a creaturis existentibus ad ens, quod earum rationem continet; vel negligendo imperfectiones nostris perfectionibus adhaerentes; vel in locum imperfectionum earum succenturiando perfectiones infinitas. Haec est illa triplex via, quam veteres Scholastici iam inuenerunt, via nempe causalitatis, negationis & eminentiae. Non autem generaliter illae sed cum suis determinationibus considerandae sunt; causae enim non omnia, quae in effectibus obuia sunt, tribuimus simpliciter, euincimus tantum, eorum, quae in effectu realia sunt, rationem causae inesse. v. g. in creaturis est existentia, seu possibilitas per vim agendi completa. Causa igitur earum non potest potentia non esse instructa. Non autem Creator patitur affectus, taedia, quia creaturae patiuntur; non mouetur, quia corpora mouentur. Errant etiam, qui per viam negationis non intelligi putant, quid Deus sit, sed quid non sit; per eam enim Deo non plane denegamus perfectiones creaturarum

rum, sed tantum earum limites. Sic Deo tribuimus existentiam ita, vt eius finem & initium, quod creaturae sentiunt, negemus; negando autem Deo aeternitatem assignamus; haec vero est realitas, & dicit quid Deus hoc intuitu sit. Tribuimus Deo cognitionem, negamus, eam talem esse, qualis est creaturae, seu successiuam & confusam, & proinde ei tribuimus cognitionem simultaneam rerum & distinctissimam, ideoque enuntiamus, quaenam sit Dei intelligentia. Accedit, quod ex negatione limitum creaturas terminantium nonnulla liceat concludere: vti enim ex positiuis sequuntur positiua, sic ex negatiuis negatiua. e. g. ideae non dantur in Deo confusae; ergo Deus non sentit affectus, non format sensationes, non habet organa sensoria. Deus quicquid cognoscit, non cognoscit successiue; ergo non cognoscit symbolice, non discursiue, &c. Denique per viam eminentiae Deo non tribuuntur incongrua, quemadmodum visum est nonnullis. Thomasius per viam eminentiae ab anima ad Deum ascendi posse negat, ridiculum esse existimans, ope perfectionum animae explorare velle perfectiones diuinas. Qui, inquit, ex suae animae perfectionibus diuinas colligunt, perinde faciunt, ac si pulex ratione praeditus, ex suis, quas maximas habet, perfectiones Dei vellet metiri; ideoque crederet, Deum esse ens infinita subsultandi facul-

cultate praeditum. Non secernit autem Vir celeb. perfectiones absolutas a respectiuis. Finitum quodcunque, si a perfectionibus suis respectiuis ad similes in Deo concludit, errorem incurrit quam maximum; perfectiones enim respectiuae omnes non admittunt infinitudinem. Quaecunque autem infinitae non esse possunt, illae perfectiones Deo tribui eminenter non possunt; eminenter enim tribuere est aliquid de Deo praedicare absolute & sine gradibus cum omni possibilitate; ideoque quae in creaturis quidem limitata sunt, sed illimitata esse possunt, ut perfectiones absolutae, ea licet Deo eminenter tribuere; non autem, quae limitata non esse nequeunt, quales sunt perfectiones respectiuae. v. g. moueri, saltare, volare, natare sunt perfectiones respectiuae, quae non possunt esse infinitae; qualis enim esset infinita natandi, saltandi facultas? ideoque in Deum non cadunt. Perfectiones absolutae & infinitudinis capaces sunt intelligere, velle, &c. quae Deo vtique adscribi possunt, ita vt neglectis limitibus ad ueram Dei cognitionem perueniatur. Caeterum, hasce vias inuestigandi perfectiones diuinas qui ingrediuntur, ne in errorem Anthropomorphismi incidant, non habent, quod sibi vereantur. Dicti sunt Anthropomorphitae inter antiquos, qui non nulla scripturae dicta sinistre interpretati, Deo formam humano corpori similem affingebant.

Tri-

Triplex enim illa via, causalitatis, negationis & eminentiae Anthropomorphismum & circa imperfectiones animae & formam corporis longissime abesse iubet. Quodsi realitates finitorum Deo tribendae sunt remotis imperfectionibus & substituta infinitudine; in Deo non est vaga & indeterminata suarum perfectionum cognitio; non potentia suam retrahendi attentionem a rebus creatis; non ignorantia futurorum; non sunt in Deo decreta partialia vniuersali repugnantia; non decreta Socinianorum temporaria; non est in Deo voluntas minus seria ad agendum; non sunt vsus rerum, quae non sint fines Dei; non contradicit voluntas Dei intellectui; & caetera omnia huiusmodi, quae purissimis & infinitis Dei perfectionibus minus conueniunt, a Deo exulant quam maxime.

§. CCCXCI.

Quum infinita Dei vis sit diuina essentia (§. 388.) Deus est substantia & quidem infinita (§. 30.) est eminentissimo sensu substantia.

§. CCCXCII.

Vis illa infinita, quia omnia quae habere potest, vna habet (§. 250. 22.) non in mera quadam facultate est ponenda

(§. 28.) ideoque nec in nudo ad agendum conatu consistit (§. 29.) sed in actu omnia agendi perdurante eodemque purissimo (§. 294.) Proinde primum, quod in Deo cogitari potest seu eius essentia est actus infinitus, perdurans idemque longe purissimus (§. 388.)

Schol. Intellecto, quid sit vis Dei infinita, intelligimus quoque, quid sit vita Dei. Non sufficere arbitror explicationem eorum, qui sub vita Dei intelligunt efficacissimam eius erga peccatores misericordiam; plura enim, ni fallor inuoluit vitae diuinae notio. Vita rei est vis rei. Qualis igitur est vis Dei, talis quoque est eius vita. Vis Dei est infinita, ideoque una habet, quicquid habere potest. Ergo vita Dei est nihil aliud, quam vis omnes complectens realites possibiles, completa per actum infinitum, perdurantem & purissimum. Ens, quod perpetuo nisu ad testandam tendit suam possibilitatem, existit. Existentia igitur est vis rei. Ergo vita Dei est eius existentia. Existit Deus absolute necessario. Necessario igitur viuit. Hinc sicubi Deus iurat per suam vitam, iurat per aliquid absolute necessarium, ideoque eadem certitudine hoc vel illud esse aut futurum esse pronuntiat qua sit absolute necessarium. Quaecunque inuoluit

vis

vis Dei infinita, ea quoque complectitur vita Dei. Sed vis Dei infinita completur infinita intelligentia, immensa potentia, bonitate inenarrabili. Intelligitur itaque, quid sit vita Dei. Operae pretium esset, hanc de vita Dei doctrinam distinctis explicando notionibus in lucem ponere.

§. CCCXCIII.

Quum igitur ex vi Dei infinita concipiatur omnipotentia, summa sapientia & bonitas infinita (§. 388.) actus ille infinitus, quo completur vis infinita Dei (§. 392.) abit in actum triplicem; scilicet omnia creandi (§. 278. 275.) omnia aptissime tamquam fines & media coordinandi (§. 342.) denique omnia quam maxime perficiendi (§. 365.) Sed ex terno hoc actu, quicquid in Deo potest concipi, concipitur. Deus enim est creator & conseruator mundi ac omnipraesens, quia est omnipotens, seu quia omnia vno eodemque actu ad existentiam deducit (§. 275. 282. 284. 278.) Deo competit summa intelligentia, infinita ratio, omniscientia & praescientia, quia est summe

sapiens; seu quia omnia tamquam fines & media sibi inuicem subordinat (§. 289. 312. 318. 320. 342.) Deus est summe iustus propter immensam bonitatem & sapientiam; seu quia omnia, quantum per obtinendum finem fieri licet, perfectionibus cumulat (§. 376.) Deus est absolute necessarius & a se, quia triplex ille actus est infinitus (§. 267. 268.) & eamdem ob rationem est immutabilis (§. 269.) aeternus (§. 270.) vnicus (§. 273.) independens (§. 274.) summe sanctus (§. 380.) & caetera, quae de Deo praedicari possunt, omnia ex triplici hoc actu emanant. Proinde triplex, quem commemorauimus, actus in Deo primum est (§. 19.)

Schol. Hi tres actus non solum in Deum, sed in omnem generatim spiritum cadunt, scilicet potentia, intelligentia & voluntas; licet penes Deum infiniti sint. In ente autem perfectissimo iam olim Platonicae Philosophiae studiosi tria statuerunt, nempe ipsum perfectissimum, tum intellectum ex eo generatum, dein animam ex intellectu prodeuntem. Sic enim Plotinus Ennead. V. L. I. c. 6. p. 489. Τὶ δὴ χρὴ περὶ τὸ τελειοτάτ]ω λέγειν, μηδὲν ἀπ' αὐτοῦ, ἢ τὰ μέγιστα μετ' αὐτὸν, νοῦς, καὶ δεύτερον εἶον καὶ ἡ ψυχὴ, λόγος, νοῦ καὶ ἐνεργείατις, ὥσπερ

ὥςπερ αὐτὸς ἐκεῖνο. Platonicam autem non esse venerandam de S. Sancta Trinitate doctrinam, probauit Clericus in comment. ad Iohann. p. 396.

§. CCCXCIV.

Tres igitur actus post vnum generale, scilicet vim infinitam, sunt in Deo speciales, sed in sua quisque specie quam maxime primi. In his ipsis autem certus deprehenditur ordo. Quum enim opera non possint tamquam fines & media coordinata & perfectionibus dotata esse, nisi prius creata sint, primo loco concipitur actus omnipotentiae (278.) & quia pulcherrimis perfectionibus non possunt esse conspicua, nisi prius ordinatissime tamquam fines & media disposita sint, secundo cognoscitur sapientia (§. 342.) denique innotescit infinita bonitas infinito actu completa (§. 365.)

Schol. Quamuis ea, quae vltimis adhuc paragraphis exposita sunt, nonnullis grauida conclusionibus principia distinctarum ope notionum meditantibus offerant: malim tamen subsistere, quam progrediendo falcem in alie-

nam messem immittere. Spero autem, fore, vt nonnihil conferant ad illustrandum, & ab obiectionibus, quibus passim allatratum fuit, vindicandum S. S. Trinitatis mysterium. Sub finem rogo, siquid pro veritate re ipsa dictum, Tuis, beneuole lector! inseruire vsibus possit, quantum, quantum est, Deo, sicvbi vero erratum, mihi totum acceptum referas.

FINIS.



dum, non agendum,
indifferentem seu in ae-
ibi persuadet, ita qui-
aeque optimum. vid.
I. Cap. V. num. III.
ositis Poiretus omnino
ris esse diuinos, Deum-
ua ex repraesentatione
que absolutismo decre-
m patrocinari videtur.
atis aequilibrium Deo
Quid enim est aequi-
tatis aliud, quam igno-
ad vnum inter duo op-
linatur quam ad alte-
um limitatum in altero
nes & maiora bona non
is Deo, omnia distin-
hanc imperfectionem
urda toto agmine. Po-
ilibrio fuisse, vt mun-
optime fecisset, si non
gloriae manifestationem
m eius omissionem, sa-
creandi mundi decretis
s itaque perfectionis col-
e ac nulla est. Ergo
er Christum seruatorem
in Spiritu S. sanctificet,
os poenis afficiat, siue
: piis aeternam largia-

tur